



1. Lutheri s. Mart. /
aliquot Epistole
12 fl. magdeburgi, 1549.
7. Christiani s. All. /
Admonitio ad
primarium Euebo,
cum Eislebium scripta
Magdeburgi, 1551.
2. Lutheri s. Mart. / prophe.
5. tue aliquot et senten.
tiae. 1552.

8. Flaccij I. Ilyrii
 Responsio ad G. Majo-
 rem, contra quoddam
 9. Interimistica, May-
 delburgi.
 10. ——— Contio Poe,
 nitentid
 11. ——— Liber de veris
 et falsis Adia pho-
 ris, Maydeburgi,
 1544.
 12. Wigandi I. Ioh.
 Admonitio de
 ventralibus et
 medijs, Francofurti
 1552
 13. Flaccij I. Ilyrii
 Confutatio Catechismi
 Sydonis Episcopi, 1549
 14. Westphali I. Ioh.
 Scripta, 1549.
 15. ——— Idu Scripta Diversum Doctorum
 I. Ilyrii ad Iohannem Corruptelis
 1550

6. Flaccus / Mlysi] Proba-
tio, quod omnes, qui Scrip-
ta contra Interim et
Adiaphora persequuntur
sint Christi persecutores
1550.

PROPHE-

TIAE ALIQVOT VE-

re: Et sententiæ insignes reuerendi pa-
tris, Domini Doctoris Martini Lutheri,
Tercij Helie: De calamitatibus, defecti-
one, & Tenebris, Germaniæ ob-
uenturis, eo in Domino
mortuo, & perpe-
tuo Viuente.

*Collectæ Per Iohannem Amsterdamum
Ecclesie Dei ministrum.*

In Brema.

Accessit & altera pars, consolatoriarum
sententiarum, eiusdem D. Lutheri.

1. Thessalonicenses 5.

Prophetias nolite spernere.

Michæ. 2.

Si essem uir uanus, & mendax, & pro-
phetarem tibi de uino, & Sicera, tunc essem
Propheta gratus huic populo.

Pestis eram uinus; Moriens, ero mors
tua papa.

Sed iudicium incipit a domo Dei 1. Pet. 4.

Ecce, quibus non erat iudicium, ut li-
berent calicem bibentes bibent, & tu quasi
innocens relinqueris? Hiere.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text from the adjacent page]



ORNATIS

SIMO SENATORII OR-

DINIS VIRO, DOMINO

Dethmaro Hendrelio in signe sa-

pientia, & prudentia præ-

dito, amico suo

optimo.



RATIAM ET PA-

cem a Domino, per-

Christum. Scriptura

diuinitus in spirata,

testatur, non solum

præclaris sententijs,

sed etiam manifestis

exemplis, quam insigniter Ecclesiæ

ac respub: floreat, omni genere bo-

norum, dum homines pij & eruditi gu-

bernacula tenent: & quibus calami-

tatibus terra percutitur, dum eorum

gubernatione orbatur. Prouerbiorum,

ii. Benedictione rectorum fortunatur

ciuitas, florentibus iustis florent ciui-

tates. Et prouerb: 27. Quando iusti

præferuntur magna est gloria: quan-

A 2

do ex-

do exurgunt impij fiunt mutationes. Et
Cap. 28. Propter delicta terræ sepe mu-
tantur Principes: Et propter uirū pru-
dentem, & intelligentem, durabilius est
imperium. Atq; cum cessat Propheta
perit populus. Et Iesus Syrach cap. 10.
Iudex sapiens iudicabit populum suū.
& principatus sensati stabilis erit. Rex
insipiens perdet populum suum. Et sa-
pientiæ 6. Multitudo sapientum, sani-
tas est orbis terrarū: & Rex sapiens po-
puli stabilimentum est. Ergo accipite
disciplinam per sermones meos, & pro-
derit uobis. Et prouerbiorum 25. Aufer
impietatem de uultu regis, & firmabi-
tur iusticia tronum eius.

Donec Iosua dux & seniores uiue-
rent, qui nouerant opera domini, quæ
fecerat pro Israel, seruiuit Israel domi-
no. Iosua ultimo: Sed cuncta generati-
one illa collecta ad patres suos, surrexit
generatio alia, quæ non cognouit Do-
minū, & opus quod fecerat pro Israel.
Et deserentes Dominum DEum patrū
suorum, qui eduxit eos de terra Egypti,
abierunt post Deos alienos, feceruntq;
filij Israel malū in cōspectu Domini, ser-
uieruntq;

uieruntq; baalim. Iudicum. 2. Et 2.
Parali. 24. Fecit Ioas quod rectum est
in oculis domini, cunctis dieb⁹ Ioiadae
sacerdotis. At eo mortuo turpiter de-
fecit. Et Capite. 26. Et factū est, ut Vfia
rex Iuda quæreret Deum in diebus za-
charie uidentis, qui curabat, timere Do-
minum, Et in diebus illis, quando quæ-
rebat Dominum, fecit deus ut prospere
succederet ei.

Donec Helifeus præfuit, mansit
utrumq; regnum Israel, Ieremias, & si-
miserrimus, tamen seruat florem po-
puli. Donec Esaias audiebatur, Iero-
solymis mediocris status fuit. Eo in-
terfecto, Manasses captus est, & magnæ
calamitates publicæ, secutæ sunt.

Donec Ioseph uixit, fuit mediocris
tranquillitas Ecclesiæ in Egypto, post
anno, 140, a morte Ioseph egressa ex
Egypto, aliud hospitium, quæsiuit.

Propter zachariam, Symeonem, &
similes, consentaneum est, multas sedi-
tiones, in populo iudaico repressa esse.
In Ecclesijs mansit concordia utcumq;,
uiuentibus Apostolis: postea statim,
multæ & terræ dilacerationes factæ
sunt,

sunt, quia nullius auctoritatem, uereban-
tur naturæ curiosæ, & ambiciosæ. Et
Ierusalem, non potuit capi aut subuerti
dum in ea uiuerent, & docerent Apo-
stoli. Augustinus Hipponensis Epūs,
ante captam urbem, ex his miserijs euo-
catus est, ad immortalitatem. Stilico
dux, de Ambrosio sæpe dixit, Italiam
extincto Ambrosio periturum esse:
quemadmodum, eo mortuo, statim
Gothi & V Vandali, Italiam uastauerūt.
Post constantini interitum, Imperium
& Ecclesiam, turbarunt eius posteri,
multipliciter. Hæc omnia optime
congruunt cum Angeli uoce, dicentes
ad Loth, Nō potero facere quicquam
donec egrediaris illuc Gene. 19.

Nec dubium est, totum mundum,
uno momento ruiturum, nisi quidam
sancti, se opponerent iræ DEI, & DEum
placarent orationibus suis. Bene igitur
finxerunt ueteres poetæ, sine dubio
ex patrum sermonibus, Atlanta portas,
se humeris cœlum. Sunt etenim sem-
per in terra, qui iram Domini portant,
& propter quos Deus parcit mundo, &
pœnas differt, aut mitigat.

Inter

Inter hos mundi seruatores, fælices
Atlantas, & salutare Heroes, non fuit
infimus, sed summus, & præcipuus san-
ctæ & æternæ memoriæ, Doctor, &
pater noster, Martinus Lutherus, saluta-
re organum, & uas misericordiæ DEI,
quem, ante hos motus euocauit Domi-
nus qui suo Euo, uel solus in excubijs
fuit, pro Ecclesia Dei. Quis eo dexteri-
us, fidelius, & copiosius, gloriam Dei,
Ecclesiarum propagationem, & ani-
marum salutem, uoce & scriptis, confi-
lijs & autoritate, promouit? An non
uel ipse solus, omnis generis sectarios,
uniuersa fanaticorum deliria, & quos-
uis uerbi Dei hostes, inuasit, taxauit, pro-
strauit, & refutauit? Quis eo grauius,
copiosius disertius, & magis perspicue,
scripturæ sacrae mysteria explicauit?
Ut merito sentiamus eum principem
inter cœlestis & uere salutaris doctrinæ
interprætes, locum tenere. Humanis
præsidijs destitutus, non fractus est ani-
mo. Fuit fidelis custos, ueritatis, di-
uinitus traditæ. Mansit perpetuo in-
ter mætas cœlestis doctrinæ. Sui mune-
ris officia strennue fecit, assiduus doctor,
A 4 & præ,

& præcator. Fuit benedictus, & benedictio, seu, in benedictionem Germanie & Saxonie, hoc est, eius ministerio, & præcibus, alij multi, ad benedictionem tam corporalem, quam spirituaalem uenerunt: & a maledictionibus uarijs, perniciosis uidelicet opinionibus, horribilibus diffensionibus, tenebris, & erroribus, seditionibus, bellis, uastationibus, eius opera, protecti & liberati sunt.

Et, ut multa sunt, ex quibus homines eruditi, futurorum euentuum significationes colligunt: sic Sanctus propheta Lutherus, tertius Helias, certissima impendentium calamitatum indicia, ex petulantia ingeniorum, & ex moribus, usque adeo corruptis, & deprauatis, lucide præuidit, prædixit, atque præscripsit ut, destinatus, diuinitus, germanis propheta. Nam cum hoc genere diuinationum, quod ex moribus sumitur, conueniunt prophetarum uaticinia, Qui, ubi uiderent contumaciam sequi pro pœnitentia, perpetuo prædixerunt, grauissimas pœnas sequi, necesse esse. Ut de ficu dicitur Lucae, 13. Ecce uenio tertio, erue eam.

Igitur

Igitur, cum euentus plane respon-
deat uaticinijs, non est inutile, utraque
perpetuo ob oculos habere, has scilicet
scelerum poenas, & earum prædictio-
nes, ut ad timorem Dei, harum rerum
consideratione prouocemur, ac maio-
re cura, & uigilantia uitemus uicia, quæ
secum adducunt, ingens pondus cala-
mitatum, & timeamus ueram ac hor-
rendam Dei iram, Deinde, exuscitemus
nos, ad obedientiam, inuocationem,
spem auxiliij diuini, liberationis, & fæli-
cium euentuum.

Cum igitur nonnulla uerissima,
uaticinia, ex libris uenerendi patris, do-
mini Doctoris, Martini Lutheri charis-
simi nostri præceptoris, meo more, &
in meum solius usum, descripsissem, ar-
bitratus sum, me non ingrati tibi be-
neuolentiam præstiturum, ornatissime
& amicissime Dethmare, si ea quoque
tuæ pietati, utenda, perlegenda, seu de-
scribenda communicarem, imo, omni-
no quicquid id operis est, dedicarem
quod, & si non magnæ est industriæ,
certe, pijs est officij, quare oro ne asperne-
ris, sed in his grauissimis Ecclesiæ, & pa-
triæ

triae tēpestatibus huiusmodi fragmētis,
& micis a mensa Domini, sublatis &
collectis, te nutrias, & sustentas. Oro
autem Deum patrem DOMINI nostri
Iesu Christi ex animo, ut tuam Senato-
rij ordinis administrationem, bene for-
tunet, & plures tui similes gubernationi
reipub: præficiat. Bene & foeliciter ua-
le, die 13. Decembris, anno 1550.

Ioannes Amsterdamus.

IN ECCLESIASTICA

Historia, lib. 3. cap. 32.

*Viuenti-
us Apo-
stolis,
mansit Ec-
clesia
immacu-
lata.*

VSq; ad tempora Apostolorum,
uirgo munda, & immaculata
permansit Ecclesia: corruptori-
bus ueritatis, & diuini uerbi temerato-
ribus, aut nusquam omnino extantibus,
aut etiam si qui forte fuerant, in occul-
tis, & abditis hiatis terræ delitescenti-
bus. Ut ueto Apostolorum Chorus, &
omnis illa ætas, quæ a Domino susce-
perat uiuæ uocis auditum, de hac luce
discessit, tum uelut in uacuam domū,
falsæ doctrinæ, impius se error immer-
sit, & tanquam, ubi nullus iam diuini
sensus

sensus defensor existeret, nudato, (ut aiunt) capite, corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam ueritatem nituntur. Sed istud bellum intrinsecus gerebatur. Persecutionum uero extrinsecus pondus urgebat Ecclesiam, & tam immensæ cateruæ Martyrum quotidie iugulabantur, ut Plinius secundus, qui tunc prouinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad Imperatorem, quod innumera milia hominum, quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris depræhenderetur admissum, aut aliquid contrarium romanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos, Christo cuidam canerent Deo. Adulteria uero, uel cætera huiusmodi crimina, apud eos, & illicita haberi, & poenitus arceri. Cætera uero, secundum leges, eos agere cõmunes.

Duplex
Ecclesiæ
calamitas

I V D I C I V M D O C T O R I S
Urbani Rhegij, eiusq; testimonium de
patre & præceptore nostro D. Martino
Luthero, Descriptum, ex duabus
ipsius Epistolis, amicis
quibusdam scriptis.

Hic Lutherum
Musculus
appellat
Ioan. 8.
Magnum
illud organum Dei.

Cum

CVM Saxoniam peterem, Coburgi integrum diem, solus cum Luthe-
ro uiro Dei, transegi, quo die, nul-
lus mihi in hac uita fuit iucundior. Ta-
lis enim ac tantus est Theologus Luthe-
rus, ut nulla secula habuerint similem.
Hoc magis execror stultitiam & arro-
gantiam Carolstadianorum, qui sibi
placent, quasi Luthero queant conferri,
cuius umbram non assequuntur, cum
omni eruditione, quam iactant. At iam
mihi maximus est. Vidi eum præsens,
& audiui, quæ nullo calamo tradi pos-
sunt absentibus.

ALIUD EIVSDEM

ex altera Epistola.

EGO forsitan in iudicando uera
doctrina, non omnino truncus,
sic iudico, Neminem esse, qui pos-
sit odisse Lutherum, si eum nouerit.
Indicant libri spiritum Lutheri. Sed
propius inspexeris hominem, si de reb⁹
diuinis ipsū audieris apostolico spiritu
differentem, tum dices, uincit præsentia
famam. Maior est Lutherus, quam ut a
quoquam scribi possit, aut debeat indi-
cari. Vidi, quam magnifica Dei gratia
fit in

fit in homine, cuius certe me non pu-
det. Dicam quod sentio. Scribimus
quidem passim & tractamus scripturas,
absit inuidia uerbo, sed Luthero colla-
ti, discipuli sumus. Hoc iudicium, non
ex amore fluit, sed potius amor ex iudi-
cio. Sed rursus contemni Lutherum,
electissimum spiritus sancti organum,
non patiar. Er bleibt noch wol ein The-
ologus für der ganzen welt / das weiß
ich. Ich kenne ihn nu bas / denn zuuorn
ehe ich in habe selbs gesehē. Me uehemē-
ter cruciat, ingens interuallum, quo
absum a V Vittembergā. Nam
Luneburgum 34. miliari-
bus distat a V Vittem-
berga. Anno.

1534.

PROPHETIAE ALIQVOT, VERE: ET SENTENTIAE INSIGNES,
Reuerendi patris, Domini Doctoris Martini Lutheri, Tertij Heliae: De calamitatibus, defectione, Et Tenebris, Germaniae obuenturis, eo in Domino dormiente, & perpetuo Viuente.

*Collecte per Iohannem Amsterdammum
Ecclesiae Dei ministrum.
In Brema.*

1. Thessalonicenses 5.

Prophetias nolite spernere.

Michae. 2.

Si essem uir uanus, & Mendax: & prophetarem tibi de uino, & Sicera, tunc essem Propheta gratus huic populo.

Esaiae. 57.

Iustus perit, & nemo est qui id cordi accipiat, Viri quoq; pietate conipicui, colliguntur, & nemo est, qui aduertat. Propter maliciã autem, et a facie maliciã, collectus est iustus, Venit in pacem, & ulri pñ quiescunt in cubilibus suis, Doctor

DOCTOR LVTHERVVS,
in Sextum caput Gene.

Summa poena, hæc est, quam hoc loco dominus per os sanctorum patriarcharum minatur, quod non sit iudicaturus amplius per spiritum suum homines, hoc est, quod cum frustra sit omnis doctrina, nolit posthac uerbum suum hominibus dare.

Hanc poenam, etiam nostra tempora, Germani adducent. Videmus enim quam festinet Satan, quam sit inquietus, & omnia tentet, quibus uerbum Dei, potest impedire. Quantum sectarum excitauit, nobis uiuentibus, & omni studio in id incumbentibus, ut puritas doctrinae retineatur. Quid futurum est nobis mortuis? Profecto tota agmina Sacramentariorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Seruetianorum, Campanistarum, & aliorum hæreticorum producet, qui nunc, uicti puritate uerbi, & assiduitate piorum doctorum, latent, in omnes occasiones stabiliendorum suorum dogmatum intenti.

Sæpe igitur Deum oro, ut generationem nostram sinat nobiscum mori, propterea, quod nobis sublati, periculosissima tempora sequentur.

In Caput 4. ad Galatas.

Vehemens

I. Prop
phetia

2. Prop
phetia

3. Pro-
phetia

4. Pro-
phelia

Vehementer paulus miratur, quod iam uere Deum cognoscentes per Euangelium, tam cito reuertantur, seducti per pseudoapostolos, ad infirma & egena elementa, Vt & certe nihil mirum uideretur, si nostra Ecclesia (quæ Dei gratia, pulcherrime instituta est, in pura & sana doctrina, & fide) una atq; altera concione, a phanatico quodam sic subuerteretur, ut ne amplius doctorem suum agnoscere non uellet. Id quod aliquando, fiet, si non uiuentibus, tamen sublatis nobis. Tum omnium multi uolentes esse magistri, surgent, qui prætextu pietatis peruersa docebunt, & breui subuertent omnia, quæ nos longo tempore, & maximo labore ædificauimus. Non sumus meliores ipsis Apostolis, qui adhuc uiuentes, non sine dolore uiderunt euersionem Ecclesiarum, quas ipsi plantauerant suo ministerio, Non est igitur mirum si idem malum, nos hodie uidere cogimur, in Ecclesijs, ubi sectarij regnant, qui, & alias Ecclesias nobis mortuis occupabunt, & suo ueneno inficient & euertent. Manebit tamen Christus regnans usq; ad finem mundi, sed mirabiliter, ut sub papatu.

IN QVARTVM CA-
put Geneleos.

EST hæc usitata calamitas omnium seculorū. Cum enim uera Ecclesia sumit incrementa, magno

magno conatu se opponit Satanae & impijs. Sed
 improbitate hostis defatigatur, & aut hosti saeuientem
 cedit, uicta cruce, & afflictionibus, aut succumbit
 uoluptatibus & opibus. Sic Adæ posteritas, fracta
 tam diuturno bello, cum filijs hominum, succumbit,
 usq; ad octo homines, qui seruati sunt. Preualente
 itaq; impietate, & cedentibus etiam pijs, uenit
 tandem Dominus, ac pijs reliquias seruat, Reliquos
 autem, tum seductores, tum seductos inuoluit in
 idem iudicium, & punit. Sic speramus & credi-
 mus futurum in ultimo iudicio.

Si nunc
 contingit,
 nostris
 Ecclesijs.

IN DVODECIMVM
 caput Geneseos.

Vulgus hoc tempore querulatur de uarijs
 incommodis, annonæ, pestilitatis, bellorum,
 &c. Et uerum est, sunt ea plura & fre-
 quentiora, quam superioribus annis. Sed, (ut nihil
 etiam dicam de peccatis, & summa ingratitude,
 quæ Deum ad pœnas prouocat) meminere pijs
 hoc fieri ad tentationem credentium : nec uulgi se-
 quantur stultum & impium iudicium, quod existi-
 mat, si reuocetur uetus pontificis impietas, si Missæ
 fiant pro mortuis, si indulgentiæ redimantur, si
 Supplicationes circa agros fiant, corrigi hæc mala
 posse. Sicut Iudei apud Hieremiam de regina cœli
 dicunt Cap. 44. Quanto hoc est ueri magis simile

Vulgi in-
 ducium de
 religione.

B

nunc

nunc nos istius impietates pendere poenas, praesertim, cum quidam contempto uerbo, eam adhuc tam pertinaciter urgeant.

In 13. Cap. Geum.

Nos in nouo testamento, de facie ad faciem, hanc gloriam uidemus. Audimus Deum nobiscum loqui, & promittere remissionem peccatorum in baptismo, in coena filij sui, in uero usu clauium. Haec Abraham non habuit, sed spiritu uidit, & credidit.

Maiores igitur nostra gloria est: Sed quia eam non curamus, neque dignas Deo reddimus pro tantis donis gratias magis pecuniae & opum, maius potentiae, & uoluptatum studium, & cura est, ideo oportet uenire Turcam, papam, & innumerabiles alios demones, ex Italia, Hispania, & omnibus terrae angulis, qui uexent, fatigent, & maent nos, propter inenarrabilem, & indignissimum contemptum.

Nos pro dolor, dona nostra non uidemus, nisi spirituales, hi letantur, & Deo gratias agunt. Caeteri, quia carnales, ingrati, auari, superbi sunt, ab his etiam auferetur quod habent, & accedent poenae, ut pro Christo Satanam, pro Apostolis haereticos audiant, qui in uerbo quaerunt sapientias, & glorias suas, & alia omnia, praeter illud gaudium,
& coe-

5. Prop^hetia

6. Prop^hetia

Et coelestia beneficia, quæ uerbum ad nos adfert.

Hæc miseria merito dolet Christianis omnibus, quod in tanta luce, et gloria uerbi, maior pars manet cæca, et tenebras plus diligit, quam lucem. Vident enim hunc esse fontem omnium publicarum calamitatum, quod ingruunt Turcæ, quod hereses crescunt, quod papa de uindicando regno suo cogitat, quod positum est in inuocatione sanctorum, in innumeris commutationibus, et uenditionibus bonorum operum, et alijs per quæ miseras animas hæctenus abduxit a uerbo.

7. Prophetia

Accident autem hæc, uel etiam his tristiora, aliquanto post, nobis sublatis, et nostris hominibus. quia illam gratiam quam desiderauit Abraham uidere, non curant, cum tamen Abraham, uix paruas guttulas harum diuitiarum habuerit, quarum nos amplum mare possidemus.

8. Prophetia

Est autem, hæc usitata fortuna Ecclesiæ, ut quanto uerbum copiosius reuelatur, tanto maior hominum sit ingratitude. Abutuntur enim eo ad suam gloriam, et ad tegenda peccata, Ideo mittit deus efficaces errores, sicut papæ exemplum docet, qui loco uerbi decreta, decretales suas, legendas sanctorum, et alias nugas Ecclesiæ obtrusit uult enim mundus decipi.

In Caput. 14.

B 2

Sicut

Prophe-
cia

Sicut pij emendantur flagello Dei: ita impij post calamitates fiunt deteriores, & cogunt Deum ad extrema supplicia, ut poenitus subuertantur. Sic nostro tempore Græcia per Turcam uastata est & euersa, Sic cum Germani quoq; fiet, uirtute ducum suorum, non defendentur.

IN DECIMUM QUAR-
tum caput Geneseos.

HAbes igitur hic descriptam faciem mundi, qui non solum obliuiscitur uerbi Dei, sed etiam illud contemnit, Igitur inuoluitur dignis penis.

9. Pro-
phelia.

Accidet autem idem Germaniæ me mortuo, siquidem adhuc uiuens, multa indigna audire, & uidere cogor, quæ, sine grauibus poenis non abibūt.

In Caput 15. Geneseos.

Exultante Abraham, exultat eius posteritas: Afflicta posteritate Abrahamæ, affligitur ipse Abraham: & tamen circa finem, cum proxima esset liberatio, omnia perturbatissima, & miserissima fuerunt. Sicut hodie, cum iam in uicino est dies Domini, & ueræ Ecclesiæ liberatio, paroxismus uehementissimus, & acerrimus est, plus enim sanguinis a Turca, & pontifice funditur, quam ullis antea temporibus.

Turcatus

Turcatus, & papatus, sunt potentissima
monstra, quibus Ecclesia nouissimis temporibus
grauiter affligitur, & tamen in medijs furoribus
draconis & leonis, manet baptismus, manet Eucha-
ristia, manet clauium potestas, &c.

In Caput 16. Geneseos.

HAbes igitur, hic quoq; statum mundi, ceu in
tabula depictum, Videmus frustra moueri,
& corrigi homines uerbis. Nam etiam
plagæ frustra sunt, Sicut Esaias queritur de suis Iu-
deis. Hoc quidem solemus, cum sentimus plagas,
eiulamus, & querulamur, sed primum propter pec-
cata eiulandum erat, quæ prouocarunt iram Dei.

Cum totos septuaginta annos, populus in
Babilone inter gentes exulare cogeretur, non dee-
rant querelæ, lachrimæ, gemitus, preces, Sed quid
prophetæ dicunt, imo Deus per prophetas. Ego
inquit mittebam prophetas, clamabam, plorabam,
ut uos reuocarem in uiam. Sed uos eos occidistis,
Itaq; uos quoq; frustra plorare sinam.

Sic Germania hodie, non clamauit, non plo-
rauit, non doluit hætenus, super horribilibus pec-
catis, quæ facimus. Cum autem pœnæ nunc se exe-
rant, incipimus lamentari, & eiulare, Atq; iam
olim, illud oportuit factum.

Nam cum pœnæ adsunt, frustra clamamus

et ploramus. Qui autem, antequam poena ueniat, clamant et plorant, horum gemitibus Dominus mouetur, et mitigat poenas, sicut in Ezechiele, Capite nono promittitur, Vbi Deus sumpturus poenas de Sacerdotibus, et populo, iubet excerpi, et seruari gementes propter idolatriam, ne una cum impijs pereant.

In Caput 18. Geneleos.

10. Prophecia.

Nunc Dei benignitate, sub nostro principe illustrissimo habent miseri exules, quo confugiant, et ubi tuti sunt: sed timeo ne uenturus sit alius, qui Ioseph non agnoscat, idque propter extremam inhumanitatem, et inhospitalitatem, et auariciam hominum, Non nobiles, non ciues, non rustici, uno obulo, adiuuant Ecclesias, ut possint esse liberales in exules. Quicquid habemus, habemus ex reliquijs sub papa collectis, et datis.

In Caput 18. Geneleos.

Moses angelos uocat hic, tres uiros. Sic enim Sara et Abraham indicabant, esse prophetas Dei, expulsos in exilium propter uerbum, At Abraham ut ostendat reuerentiam suam erga uerbum, non solum pascit laute, et liberaliter hospites hos, sed pastores, propter amorem uerbi, et timorem Dei comitatur, deducit eos in uiam, qua itur ad Sodomam. Propo=

Proponuntur autem hæc quoq; nobis in exemplum,
ut discamus reuereri, & omni officiorum genere
colere prophetas Dei, seu ministros uerbi, Sed quo-
modo hoc faciat mundus, & quæ ingratitude
hanc sequantur poenæ, iam dudum his miseris tem-
poribus didicimus. Nondum autem est finis.

In Caput 19. Geneleos.

Videmus hodie impendere, magnum, & cer- ii. Pro-
tum Germaniæ malum, ac quo clamamus phencia.
magis, & hortamur diligentius ad poe-
nitentiam, eo aduersarij nostri, deteriores fiunt,
quod si (ut debemus) increpamus eos, blasphemant,
& seuiunt in nostræ Ecclesiæ membra, &
occidunt quos possunt, simpliciter indomiti, &
urgentes suum, & totius germaniæ exitium. Hic
fides facit quod suum est, statuimus enim, quod im-
possibile sit, ut Deus tantam blasphemiam diutius
patiatur? & tamen charitas, cum poena auerti non
possit orat, ut Deus eam differat, si forte aliqui
adhuc conuertantur.

In Caput 20. Geneleos.

ABrahæ tempore, non multi reges, ueram
doctrinam amplexi sunt, & tamen Abime-
lech eam amplectitur, & fit suæ Ecclesiæ
Doctor. Ita in comitijs Augustanis, magna fuit
multitudo principum execrantium nostram doctri-

nam, Sed tamen fuit etiam Sanctæ memoriæ Iohannes Elector Saxonie, qui Christum magno animo, coram toto mundo confessus est.

12. Prophecia.

Si autem quæris quid ex nostra doctrina, boni secutum sit, responde mihi, quid boni secutum est, ex prædicatione Iohannis in Sodomis? Nimirum, quod postquam, sine fructu, & frustra audiuerunt uerbum, coelesti igne absorpti sunt: Talis poena etiam nostros contemptores suo tempore corripiet. Et uidemus, quod de die in diem, magis excantur, & insaniunt magis. Hæc ruinæ initia sunt.

In eodem Capite.

ITa plerumq; fit Mundus initio cum gaudio accipit uerbum, sed mox iterum, fastidit, tandem, sicuti hodie uidemus, etiam abhorret, & odit, cum scilicet propter uerbum certa pericula expectanda sunt: Sicut Christus, in parabola de terra petrosa dicit, Hæc enim omnium hominum natura est, quod cupiunt quidem æternam uitam, sed coniunctam, cum commodis huius, Sed nota est Christi sententia. Qui me uult sequi, tollat suam crucem, hoc est, qui uult esse hæres æternæ uitæ, multa acerba toleret, & ferat necesse est.

IN PRIMVM CAPVT
Michæ prophete.

Hic

Hic egregie pingitur stultitia & error sapientiae humanae. Putabat Hieroboam, si peculiare cultus in suo regno institueret, & prohiberet ne subditi Hierosolimis, iuxta uerbum, sacra annua facerent, se pulchre stabiliturum regnum suum, & fracturum uires regni Iuda, Sed diuersum accidit, Nam hoc ipso consilio, per idolatriam euertit regnum, ut uastaretur a gentibus.

Non dissimile est, quod hodie plerisque Principibus & regibus accidit, adorant meretricem Romanam & impios cultus fouent ac defendunt, cauent ne quid uel in doctrina, uel Ceremonijs mutetur, atque hoc modo putant se, in tuto fore, & sua ^{13. Pro}phacia saluari posse. Sed hac ipsa ratione, se & sua euertent. Neque enim Deus contemptum uerbi sui, & idolatriam perpetuo patietur impunem esse.

In eodem Capite.

Hoc enim commune rerum publicarum florentium uicium est, quod infatuantur successu, ac propter opes & potentiam, credant se, ac sua tum in tuto esse, cum maxime uicina sunt periculo. Itaque cum ad poenitentiam conuersionibus futurarum calamitatum inuitantur, eas non admittunt nec credunt. Sunt igitur fortuna, & successus ipsis uere pestiferi, & exitiales morbi.

B 5

Vbi enim

14. Pro-
phetia

Vbi enim uerbum negligitur, & nulla poenitentia sequitur, ibi non potest longius abesse poena.

In eodem Capite.

DOcemur autem primo hic, Quod idolatriam soleat Deus punire bello & uastitate. Deinde quod maiorem poenam merentur, qui alijs exemplo suo, idolatriæ occasio sunt. Sicut etiam Christus, grauiſſime minatur ijs, qui alijs sunt scandalo. Quare decebat hoc studium precipue reges & principes, ne, dum ipsi religionem parum curant, alij interim idolatriam, & impios cultus propagent, Sicut hodie fit. Existimat magistratus non esse sui muneris curare, quid agatur in Ecclesia. Itaq; impij homines cum maiore licentia, abominationes papatus urgent, Sed uæ istis, qui, cum hæc ex mandato Dei debebant prohibere, & propter autoritatem etiam poterant, tamen id non faciunt. Nam sicut hic locus admonet, maior poena eos consequetur, quorum exemplo alij peccant.

15. Pro-
phetia.

Ibidem.

HÆc prima concio, tota eo spectat, Vt summo studio fugiamus Idolatriam, quam non leues poenæ, sed extrema uastitas sequitur. Si enim iniurias contra proximum horribilibus poenis ulciscitur Deus, sicut sequens caput ostendet,
Quanto

Quanto putabimus Deum, acriorem uindictam fore,
cum suam gloriam uidet ab hominibus impijs op=
primi per Idolatriam, per impiam doctrinam, &
cultus impios?

Necessaria autem hæc, nostris quoq; tem=
poribus est concio, Quantum enim abominationū,
iam plus quam sexcentis annis, in Ecclesiam, per
pontifices inuectum est. Coegit eos necessitas, ut
saltem textum Euangelij in templis recitarent,
quamq; id quoq; in Italia, & alijs nationibus, multo
rarius, quam in Germania factum est. Sic pabatismū,
& cœnam dominicam, retinere eis necesse fuit,
quamquam utrumq; Sacramentum uere contami=
nauerunt, alterum etiam impie mutilauerunt, Hæc
ut retinerent necessitas coegit eos.

Sed his sepositis, nihil per omnem uitam, a
pontifice, ut pontifice: ab Episcopo ut Episcopo:
A sacrificulo ut sacrificulo: a monacho ut mo=
nacho, a moniali ut moniali: per tot secula factum
est quod non, ex diametro cum uerbo Dei pugna=
ret. Nam etiam, bona ipsorum opera, defædauit
impia opinio meriti.

Hanc impietatem, cum adhuc hodie ponti=
fices uelint esse saluam, cum eam mordicus retine=
ant, & cum immuni crudelitate defendant, quomo=
do possibile est, ut non Deus, suo tempore, & breui
quidem, cum uastitate totius Germaniæ puniat?

Non enim

16. Pro/
pheta.

Non enim habebitur innocens, qui nomen DEI
blasphemauerit, & uerbum, ac uoluntatem eius
contempserit. Sicut exemplum hoc, regni Israel
abunde ostendit.

Iactabat uterq; populus Iuda, & Israel,
cultum Dei & singulare religionis studium. Sed
Propheta religionem, quam ipsi sequebantur, dicit
causam præcipuam esse, omnium calamitatum.
Quia enim cultus Dei non potest dici, nisi quod se-
cundum uerbum Dei instituitur, Idolatria est, quic-
quid homines sine uerbo, pro cultu Dei instituunt,
ac meretur extremas poenas, Et si enim alia pecca-
ta, contra secundam tabulam admissa quoq; suas
poenas habent, tamen hi cultus, humana opinione,
& deuotione, sine manifesto uerbo instituti maiores
poenas, & certiores merentur.

IN CAPVT SECVN-
dum Michæ.

NOs qui hodie, sanam doctrinam sequimur,
in tanto mundi, & Sathanae furore, neuti-
quam sic nos possumus erigere, sicut papi-
stæ se erigunt illa consolatione, Quod Ecclesia
non sit peritura.

Quoque enim uertimus oculos terremur
uarie. Mundi & Sathanae furor extremus est, quo
conatur hanc doctrinam extinguere.

Hi in quibus præsidij aliquid uidebatur esse,
laborant

laborant suis quoq; affectibus. Aut enim adulan-
tur Pontificibus, propter lucri occasionem: aut non
habent tantum animi, ut se opponant iniustæ Ty- De magi-
rannidi. Itaq; uidemus, quàm nihil in Magistratu, stratu,
fero præsidij sit.

Inter nos, qui habemus doctrinam Dei gra-
tia sanam, quantum infirmitatis & incommodo-
rum est? Nec est obscura significatio, nostras Ec-
clesias, laboraturas incredibili pænuria doctorum. 17. Pro-
De alijs incommodis libens taceo. Hæc omnia cum phetia.
ante oculos sint posita, non potest non animus om-
nia metuere, &c.

In Caput 6.

Quod autem Balac, Conducit Prophetam Bi-
leam, ad maledicendum populo, id an non
belle cum eo conuenit, Quod impij princi- De prin-
pes coniungunt se cum pontificibus, ut maledicant, cipibus.
& malefaciant ueræ Ecclesiæ. Sed Dominus uertit
ipsorum maledictiones in benedictionem. Nam
quicquid hætenus, contra sanam doctrinam machi-
nati sunt, id omne Deus eo conuertit, ut gloria uer-
bi amplificaretur, & tum idoli, tum impietas ad-
uersariæ partis, magis patefieret.

Decebat itaq; nos in tanta multitudine bene-
ficiorum Dei, non ingratos esse, sed testari obedi-
tiam, & gratitudinem nostram, sancta uita. Do-
cebat nos fugere, & detestari scandala, Sed quia
hoc non

18. Pro-
pheta:

hoc non facimus, etiam grauius iudicium, quam Iu-
deis, nobis expectandum est.

In Caput. 3.

De prædi-
catoribus

Nemo offendatur, quod alicubi bonorum
principum pio studio, Ecclesiarum ministri
Paulo liberalius habentur Micha enim non
damnat sacerdotes & Prophetas, quod mercedem,
& argentum accipiant, debetur enim merces sua,
pijs doctoribus. Hoc autem damnat, quod ministe-
rio ad questum abutebantur. Quod propter lu-
crum conuiebant ad peccata populi, quæ repre-
hendere debebant, Sicut Bileam conduci se patitur
ut maledicat, quibus Dominus, ut benediceret man-
darat.

In Caput 4.

In signis sociorum Danielis uirtus fuit, qui ob
honorem sui Dei, procidere coram statua no-
luerunt. Magnus animus quoq; in ipso Daniele
fuit, admonente & docente regem, de futura pœ-
na, & obiurgante impium Belsazarem. Hæc ferrea
Cornua ipse Dominus tritुरanti boui donauit, ut
comminuerentur multi populi, nempe illi ipsi, qui se
contra zion congregauerant.

De ueris
& falsis
Prophe-
tis, ac Ma-
gistratu.

In Caput. 3.

Non solum Tyrannis ueritatis impatientissi-
ma est, sed causas fingit, cur Doctorum li-
bertas in dicenda ueritate coherceri debe-
at. Sicut

at. Sicut nostro tempore proh dolor, nimis multa
exempla extant, quae, alioqui tolerabiles Ma-
gistratus, ueritate offensos esse, ostendunt. Fit enim
quod Aristoteles bellissima fabula ostendit, Ut leo-
nes aegre patiantur sibi a leporibus, quasi leges
praefigi, ad quas consilia & facta sua dirigant. Dum
igitur lepores pio studio concionantur leonibus, aut
leonum ungulas cum discrimine experiri, aut uitam
fuga tueri coguntur.

Vsitatum est hodie in aulis, ut liberiores
Conciones in quibus Magistratus uicia notantur, se-
diciosas esse dicant. Sed si sediciosum est, magistra-
tuum uicia notare, queso te, quid de Micha dicemus,
quid non Dixit, sed scripsit quoque contra principes
Capite. 3. Ac palam ostendit se non cum rusticis,
sed cum ipsis principibus, & Capitibus domus Ia-
cob, & Israel agere, Et peccata magistratuum, quae
ob certas causas notanda sunt non dissimulanda aut
tacenda. Nam dissimulatio, Deum ultorem, & tra-
ductorem talium peccatorum excitat. Primum
enim cum Magistratus in republica sit, quasi caput
in corpore humano, non potest cum fructu medici-
na adhiberi reliquo corpori, nisi prius caput sana-
tum sit. Sicut enim fere frustra hortamur ad pieta-
tem, ubi ipse magistratus, nullam religionis curam
habet: Ita si Magistratus recte institutus sit, sua
sponte uulgus seueritate poenarum, ad moderatio-
nem &

**officium
præcipuū
Doctōrii.**

nem & studium uirtutis reuocat. Quare, pio Doctōri, prima cura debet esse de Magistratu, ut ad-moneat officij, ut reuocet eum ab usitata licentia, quam propter potentiam sibi sumit. Hoc autem quæso, quo modo poterit fieri, si Doctor ad omnia peccata conuiueat, & dissimulet omnia? Sicut enim persona publica est, ita etiam peccata Magistratus publica sunt, & latius patent, quam priuatorum, non solum ratione scandali, quod uulgus procliue est ad principum uicia imitanda, sed quo Magistra-tus postea languidior redditur, ad ea reprehenden-da, & castiganda, in subditis, quæ ipsa in se agno-scit. Hoc uero est ingens malum, cui omni studio pij Doctores cum Micha debent occurrere. Quoties enim testatur Dominus, se quasi placatum esse, seue-ra animaduersione in flagiciosos? Ergo ubi Ma-gistratus in hac parte, suum officium non facit, ipse Dominus (cuius iudicium est,) iudicium cogitur exercere. Sed id nunq; fere fit, sine publicis ca-lamitatibus. Vult igitur DEUS, ne dissimulentur principum peccata, Et in nouo Testamento gene-rale mandatum est, prædicandum esse poenitentiam. At hanc principibus quomodo prædicabis, nisi ma-nifeste ipsorum peccata, quæ cum ingenti subbito-rum scandala committunt, arguas?

In Caput Michæ, 7.

Hec

HAEC enim duo incumbunt Doctoribus, Pri-
mum, ut animam suam redimant, ut Eze-
chiel loquitur, Deinde etiam, ut impius
mundus habeat, testimonium publicum contra se,
sicut Christus dicit Ioan. 15. Si non uenissem, &
locutus essem, peccatum non haberent, Nunc autem
excusationem non habent de peccato suo. Adhuc
accedit tertia causa, & quidem potissima, quod &
nomen Dei sanctificandum est, alijs omnibus, bla-
sphemantibus, & semper aliqui erunt, qui uerbum
amplectentur. Habet enim Deus semper suam Ec-
clesiam, ubi uerbum est, etsi uarijs scandalis, defor-
mata, & penè oppressa sit.

In Caput. 3.

Ostendit autem Propheta supra, quam non
possit mundus ueritatem, & reprehensio-
nem peccati ferre, Ideo contra pios docto-
res saeuit, omnis generis supplicijs, sicut omnium
prophetarum, Apostolorum, & Doctorum exem-
pla ostendunt. Qui autem conuiuere solent, &
blandiuntur mundo, hi in precio sunt, & lante ha-
bentur, ac eò maior omnibus temporibus talium
prouentus est, quod non omnes eo animi robore
sunt, ut odium, & fauorem mundi contemnere
possunt. Deinde ferè uincuntur, splendore uitæ
ac cupiditate opum.

Hæc uicia in pseudopropheta Micha erudi-
tissime

Quare
peccata
principū
nō sunt a
Doctori-
bus dissi-
mulanda
aut tacen-
da sed ma-
nifeste
argueda.

issime perstringit, cum suum exemplum opponit,
& dicit. Ego uero sum plenus uirtute Spiritus
Domini, Hoc est, non affero meam sapientiam, non
nitor uiribus meis. Alioqui uestri similis essem, qui
humano Spiritu pleni estis, & succumbitis in tenta-
tione, dum propter opes & dignitatem parandam,
ac fauorem hominum colligendum, conuiuetis ad
peccata populi.

IN PRAEFATIONE

in Hoseam.

Hic primum admonemur, quam Deo curae sit
Ecclesia, qui tantos uiros, Hoseam, Amos,
Micham, & Esaiam, illis temporibus dedit,
cum iam regno Israel impenderet extrema uastitas,
propter Idolatriae peccatum. Dicunt igitur etiam
hodie, hi quatuor Prophetae, uiuum de DEO te-
stimonium, quod uere talis Deus sit, qui non uelit
mortem peccatoris, sed tanquam bonus pastor, quaerit
errantem ouiculam per uerbum suum, ut con-
uertatur & uiuat, Tanto igitur hominum pertinax
impietas, magis deploranda est quae tam benigni
patris consilium, & quotidianas uoces non admit-
tit, sed pergit in peccatis, donec tandem cogatur
Deus, sicut per uerbum suum tempore uisitationis
minatus est, eos perdere.

Non igitur frustra erunt, tot pie Communi-
tiones, quibus hodie impium papatum, & indura-
tum Episc-

tum Episcoporum ordinem, ad sanam doctrinam,
& pios cultus inuitamus. Et scient illi quoque,
qui apud nos, impia sua uita, Euangelium dehone-
stant, suas pœnas. Ideo enim Amos, Hoseas, Micha,
& Esaias mittuntur, ut populus metu futuræ iræ,
ab idolatria cesset, & amplectatur ueros cultus.
Sed quia pios monitores, regnum Israel secure ne-
gligit: & ad reliqua peccata, etiam uerbi contem-
ptus accedit, dat meritas pœnas impietatis, regnum
Iuda, quoque, in quo uerus cultus erat, & si non de-
struitur plane, tamen per Assyriam uarie affligitur,
donec tandem, sicut Micha, & Esaias uaticinantur,
a Babylonijs penitus uastatur.

In hæc exempla intueri utile est, ut cogite-
mus Deum non frustra, hoc tempore lucem uerbi
sui dedisse Germaniæ. Profecto enim magna cala-
mitas sequetur, si ad hunc modum Episcopi, & re-
ges se opponere Euangelio pergent: & reliquum
uulgus nihil minuat de Auaricia, luxu, libidine, &
alijs uicijs, quæ omnibus temporibus, certissima si-
gna, futurarum mutationum, regnis, & rebus pub:
extiterunt.

19. Prop
pheticia,

In Caput. 2. Hoseæ.

Huius tanta iræ diuinæ, super Israel, quæ cau-
sa est? Nulla alia, quam quod regnum Israel
discessit a uerbo, & uero cultu Dei, & secu-
tum est idolatriam, seu cultus uerbo Domini non
institutos.

C 2

institutos. Hoc enim peccatum illud est, quod Deus tolerare non potest, sed extrema uastatione ulciscitur, sicut hic profecto horribilis sententia est, Non miserebor amplius domus Israel. Si enim misericordiam Dei tollas, quid quaeso miseris aliud relinquitur, quam ut in calamitate, sine ulla spe auxilij pereant?

20. PRO-
phelia.

Pertinet autem haec ipsa comminatio, ad nostra quoque tempora, quibus Dei beneficio, lux uerbi Germaniae reddita est, ac patet, qui ueri sunt cultus, qui uiciosi. Quid cum uerbo Christi conueniat, quid non conueniat, Sed in hac tanta luce uidemus, quid papa, quid Episcopi, iurata papae membra, faciant. Retinent ueterem Idolatriam, eam defendunt, cogunt ad eam subditos, sanam Doctrinam blasphemant, & damnant, in nos extremam crudelitatem ubicunque possunt exercent, qui cupimus Ecclesijs consultum, & Christi gloriam saluam. Nota igitur nostris quoque temporibus est, illa infelix Loryhamo. Certum enim est, & si tempus quo ista fient, non nouimus, Deum Germaniam, ob hoc Idolatriae peccatum uisitaturum. Sicut etiam exempla habemus ante oculos, Ecclesias Aegyptiacas, Syriacas, Asiaticas, Graecas, & pone pannonias etiam, quas turca uastauit.

In Cap. i. Hoseae.

Diligenter

Diligenter autem consideranda est poenae
magnitudo, & quod Deus minatur: Sicut
ipsi non uolunt esse populus meus, ita ego
non uolo esse, Deus ipsorum, Qui enim Deum non
habent, quid quaeso habent, etiamsi totum mundum
possideant? Sed tanta irae, quae causa est? Prophe-
ta infra eam copiose ostendit, & Christus in Euan-
gelio clare dicit, Ideo uastandam Synagogam, quia
tempus uisitationis suae non agnouit, hoc est, quia
gratiam Dei in Euangelio oblatam, per filium Dei
noluit amplecti, sed retinuit, Mosen, spreto Christo, 1.
retinuit legem abiecto Euangelio, retinuit opera 2.
sua, abiecta gratia Dei, quam filius Dei, sua morte, 3.
acquisiuit nobis.

Hic igitur iterum admonemur, quantum
peccatum sit, non amplecti Euangelium. In hoc
peccato, si principes & Episcopi Germaniae per- 21. Pro-
gent, quis non uidet, quo fato tandem Germaniam phecia.
perire necesse est?

IN PRIMVM CA

put Hosea.

Pertinet igitur, haec tota concio eo, ut post-
quam Euangelium de filio Dei, & eius be-
neficium innotuit, id omnes amplectamur:
aut expectemus easdem poenas, quam populo suo
influxit Deus. Nam etsi Deus peccata odit, tamen
ad alia omnia est ignoscentior, Contemptum autem

C 3

filijs,

22. Pro-
phelia.

filijs, hoc est, suæ misericordiae, ferre non potest. Itaque facile iudicium est, quid maneat Pontificis tur-
bam, quæ doctrinam fidei damnat, tanquam nocen-
tissimam heresim, & suadet meritorum, seu operum
praesidia.

In Caput. 4. Hoseæ.

Recte hoc loco distincta sunt capita. [Nam
propheta hic nouam concionem instituit,
nostris temporibus ita conuenientem, ut non
de suo populo, sed de nobis uaticinatum esse credas.

23. Pro-
phelia.

Multa sunt ex quibus homines eruditi, futu-
rorum euentuum significationes colligunt. Nam &
portenta quæ passim uidentur, nihil pollicentur bo-
ni: & ipsa negocia paulatim delabuntur eò, ut cer-
tam confusionem, omnium ordinum tandem sequi
necesse sit. Sed profecto, certissima impendentium,
calamitatum iudicia sumuntur ex moribus, usque
adeo corruptis & deprauatis. Ac cum hoc gene-
re diuinationis, quod ex moribus sumitur, conueni-
unt prophetarum uaticinia. Quis enim non uidet,
quid in suo populo reprehendat Hosea?

24. Pro-
phelia.

Sed cum eadem nostrorum temporum uicia,
ob oculos sint, magno impetu grassantia, num du-
bitabimus de simili euentu? Pertinet igitur hæc con-
cilio ad poenitentiam, ut pij se, & familias suas dili-
genter discant regere in timore Dei. Et si enim
fatalis calamitas impendet, tamen, qui in timore
sancte

sancte uiuunt, & uulgatis criminibus se non contaminant, hos Dominus, sicut Daniele, & socios eius tuebitur & seruabit, ut sentiant præmia pietatis, sicut reliqui, peccatorum meritas poenas sentiunt.

In Caput. 1. Hoseæ.

A Pud Ieremiam Cap. 44. Iudei, cultum reginæ cœli commendabant, suis auditoribus. Et Iudei tempore Christi Mosaicos cultus anteferebant Euangelio. Sicut nostro tempore pontificis mancipia, superiorum temporum felicitatem, tribuunt suis cultibus: præsentia autem incommoda Euangelio imputant. Sed hæc pertinax impietatis defensio, cogit Deum, ut sinat iram suam sine modo grassari, non in homines tantum, sed etiam in ipsam terram, quæ propter peccata hominum amittit, dona, & opes suas.

25. Propheta.

In Caput. 2.

Mundus enim nihil potest minus ferre, quam idolatriæ & superstitionis reprehensionem, sicut experimur in nostris Episcopis & pontificibus. Vtrumq; igitur pijs periculum est, ut & uitent impia dogmata, & patienter ferant iniurias Tyrannorum, quas propter defensionem sanæ doctrinæ sustinere coguntur.

In Caput 4.

C 4

Addit

26. Pro-
phacia.

Addit autem Propheta iam aliud peccatum quod in speciem uidetur esse leuius, sed longe grauiſſimum est. Non enim tantum est peccasse, quantum est peccati reprehensionem nolle ferre, & excusare peccata. Vbi enim ad hunc modum uiuitur, ut a medicina abhorreant animi, ibi non potest longius abesse poena. Quod igitur dicit Propheta, nemo litiget, nemo reprehendat, non hoc uult, quasi reprehendi uicia non debeant, Sed ostendit reprehensionem frustra esse, non admittendam ab hominibus, aut tolerari.

Hoc quoque peccatum, nostro seculo usitatissimum est. Inspice enim Ecclesias, & uidebis passim pastores in odio, quod liberius sicut ministerij ratio postulat, arguunt peccata. Ac praecipue eorum, qui in Magistratu sunt tenerrimae sunt aures. Qui enim potatores sunt, cum audiunt reprehendi ebrietatem, se ledi, & peti putant. Qui adulteri, auari, iniusti sunt, horum uiciorum reprehensionem iudicant sibi contumeliosam.

Sed hac ratione magis prouocatur Deus, ad iram. Nam peccata ista aut omittenda, & corrigenda erant, aut erat ferenda libera reprehensio. Non enim homo, sed Deus litigat, & expostulat cum peccatoribus. Sicut Propheta initio praefatus est, & hic eodem uerbo utitur. Deum autem reprehendentem, non odisse, sed reuereri, ei parere, & ob-

Et obsequi debemus. Qui hoc non faciunt, infra
audient, quale iudicium eos maneat.

Sed longe iniquius ferunt reprehensionem
aduersarij nostri, qui uerbum non habent, Hi enim
cum audiunt reprehendi idolatricos cultus, etiam
ferro Doctores uolunt compefcere, Nota quoq; sunt
exempla ueterum Prophetarum Eliae, Esaie, Iere-
mie: Et in nouo Testamento Historia Christi Et
Apostolorum satis testatur, quo animo iustas repre-
hensiones acceperit Synagoga. Ad hunc modum,
hoc in loco ostendit Hosea, pios Doctores non cari-
tuos periculo, si officium faciunt. Nam mundus
impatiens est reprehensionum.

Quod addit, populus tuus, sicut qui litigant
cum sacerdote, est insignis amplificatio. Nam in
priori sententia ostendit, populum talem esse, ut
nolit a quoquam reprehendi. Hic addit, Quod 1.
cum reprehenditur a sacerdote mouet ei litem Et
expostulat cum eo. Hoc autem est plane inuertere 2.
omnia. Populus enim audire, at sacerdos loqui,
Et docere debebat. Doctrina autem includit re-
prehensionem eorum, quae mala sunt. Hanc ferre
non uolunt. Passim igitur inuenias (meribeko-
hen) hoc est tales, qui cum mercantur reprehen-
di a doctoribus propter peccata, ipsi Doctores re-
prehendunt, Et rixantur cum eis. Sed quam peri-
culosum est, si quis in corporis morbo est, cum me-

dico rixari, ac ei non parere uelit. Multo autem plus periculi in eo est, cum abiicitur uerbum, & excutitur disciplina. Quid enim reliquum est, quo sanari animæ morbus possit?

Corruet igitur hodie, & Corruet una tecum Propheta in nocte, & perdam matrem tuam.

Pœna cō-
temptorū
uerbi, &
impiorū
Doctorū.

Hæc est pœna proposita peccatoribus contemnentibus uerbum Dei. Sicut accidit hodie, cum hortamur aduersarios ad ueram religionem, & minamur, si pergant in idolatria, futurum, ut omnis generis malis circumueniantur. Ipsi autem non solum negligunt has minas, & contemnunt, sed etiam persuadent suis, has pœnas ideo immitti, quod papæ religio non defenditur acrius.

Ita prorsus in regno Israel accidit, cum mitterentur ad eos ueri Prophetae, qui hortarentur ad ueros cultus, & reprehenderent idolatriam, Pseudoprophetae se eis opponebant, & suos confirmabant in idolatria. Minatur autem Dominus hoc in loco, tum populo, tum Prophetis, futurum ut cadant.

In Caput. 7.

Princes turpissime subditos spoliant. Ipsi inter se ciues, nullum auariciæ modum statuunt. Et accedit quoque Tyrannus Turcicus.

Germania.

Item alia bella. Ita utrinque premitur misera, sed matura pœnis, Germania, quam uere, sicut senex in

Comedia

Comædia dicit, ne quidem ipsa salus, si cupiat serua- 27. Pro-
re, possit. Ac nos qui tamen de Euangelio gloria- phetia.
mur, hiscæ poenis, non caremus prorsus.

In Genesim Cap. 19.

Hodie in Germania, multi Ecclesiarum pæ-
stores fame penè pereunt, & esurit miser
Christus, ac tantum non perit afflictionibus
ubiq;. Adeo nulla misericordia est in hominibus.
Talis cum esset Sodoma, & uicinæ ciuitates, fama
de eis sparsa est in uicinas ciuitates, & loca. Nam
ciuitas acquirit famam ex moribus. Sicut hodie in
Germania, aliquæ ciuitates usuris celebres sunt,
quod etiam est Sodomiticum peccatum, quod non
solum non occultatur, sed prædicatur etiam: famo-
se sunt propter comessationes, & potationes.
Hæc peccata, cum publice fiunt, & adsuetudine
hominibus excusantur, ut non solum non sint infæ-
mia, sed etiam risum moueant, sicut uidemus nostros
nobiles, & ciues de suis scortationibus gloriari,
tunc uere sunt Sodomitica peccata. Sicut Esaias
pronunciat de populo suo, Peccata sua, sicut Sodo-
ma prædicauerunt, nec absconderunt. Vbi enim
pudor, & uerecundia est, ac tu de peccato tuo eru-
bescis, & metuis ne inuulgetur, ibi peccatum leue
adhuc est, sed quum prædicatur & facinorosi, ut
Salomon inquit, exultant in rebus pessimis, ac læ-
tantur in malicia, ibi nihil nisi ignis infernalis reli-
quus est.

Vsura est
Sodomi-
ticū pec-
catum.

Sodomi-
tica pec-
cata in
Germa-
nia.

In Cæ-

In Caput. 25. Geneseos.

Viri misericordie colliguntur, & nemo attendit nec curat, Iustus sublatus est ante calamitatem, & antequam ueniant ærumnæ, intrat in pacem suam, requiescit in cubiculo suo, Esaie. 26: & 57. Hæc admodum insignia uerba sunt, & clare significantia mortuorum post hanc uitam statum, & conditionem. Ingressiuntur inquit, non in mortem, purgatorium, aut infernum, sed in pacem, Et ingens consolatio est, quod dicit iustos euocari, ante calamitatem. Sic nos moriemur in pace, antequam ueniat malum, & calamitas, super Germaniam.

28. Prophecia.

In Caput. 21.

Nos hodie facimus officium nostrum, & oramus pro Cæsare, & alijs principibus, qui tamen nostram doctrinam impensa oderunt. Videmus autem orationes nostras frustras esse, siquidem ad uerbum conuerti nolunt. Ibi exercetur fides nostra, ut tandem statuamus, si alterutri pereundum est, pereat mundus potius, quam Deus, & Ecclesia Dei.

29. Prophecia.

IDEM IN EPISTOLA AD

M. Philippum Melanthonem, existenti
in conuentu, VVormaciensi Anno,
1540. feria. 4. post Elizabet.

Ego,

Ego neq; de Cesare, neq; Ferdinando, quicquam boni spero, Quia sanguis, innocens quo sunt eorum manus polluta, fortasse simulare aliquid, sed re ipsa, aliud quam malum, machinari non sinet, nisi quod oratione Ecclesiae, ipsorum conatus, uel impediuntur, uel mitigantur interdum, sed hoc nihil ad pacem, perpetuo futuram, donec animus nocendi cupidus, non mutatur, fiat uoluntas Domini, Amen. Rursus nostri capillatam occasionem toties neglexerunt, caluam frustra captabunt. Deus det, ut sim falsus Propheta, & loquar uanus, & rerum inexpertus.

30. Prophecia.

Oratio Ecclesiae contra Tyrannos, ut olim contra Neronē Iulianū, licinium.

In 6. Caput Geneleos.

Nos hodie affligimur, extrema malicia, & inaudita. Nam aduersarij, ueritatem agnitam, & confessam, damnant ex mera libidine, petunt iugulum nostrum, fundunt sanguinem piorum, ex furore Diabolico. Ista blasphemia, haec sacrilegia, & parricidia, contra regnum, & nomen Dei, tam manifesta, ut negari non possint, tamen defendunt, tanquam summam iusticiam. Dum enim pro sua Tyrannide defendenda & retinenda pugnant, etiam Ecclesiae nomen sibi uendicant, ideo Deus uidebit suo tempore etiam nostri seculi Tyrannidem & impietatem. Nos interim, quid aliud possumus quam ut clamemus ad Deum, ut sanctificet nomen suum, &c.

In

In Genesim. Cap 19.

31. Pro-
phelia.

Pestis erā
uiuus
moriens
ero mors
tua papa.

Non dubito quin Deus in illa luce Euangelij auferret electos suos, ex Sodomis, & congregabit triticum in horreum suum. Postea si blasphemantes papistae pergunt furere, sequetur finis, hoc est, uel ueniet nouissimus dies, uel insignis subuersio totius papatus sequetur. Non enim mentitur Petrus, cum Sodomam uocat exemplum impiorum, qui impij futuri sunt 2. Pet. 3. Horribilis reuera est Petri & Christi sententia Matth. II. qui Sodomitas, sanctos & iustos esse dicunt, respectu Ecclesiae Romanae, quae non solum contemnit, sed etiam persequitur Euangelium, & occidit credentes. Et ipsa natura peccatorum, talis est, ut Deus perpetuo non possit ad ea tacere, Agamus igitur Deo gratias, qui liberauit nos per filium suum, a uentura ira, & per angelos suos nos custodit, ne cum hodiernis Sodomitis pereamus.

Ibidem.

32. Pro-
phelia.

Papistae securi, rident comminationes diuinas, sed riserunt Sodomitae quoq; & tamen uenit super eos tam horribilis calamitas. Idem expectabimus de aduersarijs, quamquam cum dabunt poenas, misericordia tangemur, & dolebit nobis eorum interitus. Nec mihi dubium est, quin qui post nos uiuent, ij saepe mortem optabunt, stuporem enim tantae calamitates adferunt, nec ut in leuioribus

uioribus periculis solemus, lachrymis tum locua
est.

In Caput 3. Geneseos.

Quanto mundus suo fini est propior, tanto
homines fiunt deteriores. Ideo fit etiam,
ut poenae duriores de nobis sumantur. Quam
pertinax impugnatio ueritatis, hodie est, inter pa-
pistas? Quantam exercent crudelitatem contra
eos, qui ueritatem confitentur? Taceo auariciam
plane satanicam, libidines, perfidias, iniurias, sine
fine. Num igitur possunt poenae longius abesse?

In Caput 6. Geneseos.

Quando Deus suscitatur sanctos homines,
plenos spiritu Dei, ut erudiant & arguant
mundum, mundus impaciens sane doctrinae,
maiore studio incumbit in peccata, & ea urget
pertinacius. Hoc ab initio mundi sic factum est,
& experimur nunc in fine mundi idem fieri. Sed
haec sunt initia, quae semper uastitatem praecedunt.

33. Pro-
pheta.

Ibidem.

Non ideo diluuium uenit, quod Cainica ge-
neratio esset corrupta. Sed quod iustorum
generatio, qui crediderant Deo, paru-
erant uerbo, ueros cultus habuerant, in idolatriam, ino-
bedientiam parentum, uoluptates, Tyrannidem pro-
lapsi sunt.

Sicut etiam nouissimam diem properabit,
non

non hoc quod gentes, Turcæ, Iudei, sunt impij, sed quod per papam, & fanaticos spiritus, ipsa Ecclesia erroribus repleta est, quod uoluptates, libidines, Tyrannidem etiam illi exercent, qui in Ecclesia, primum locum habent.

Pertinet autem hoc, in terrorem omnium nostrum, quod etiam illi insolescere ceperunt, & discedere a uerbo, qui ex optimis patriarchis sunt nati.

In 6. Caput Geneleos.

Videmus cum uerbum reuelatur de cælo, aliquos conuerti, qui liberantur a damnatione. Reliqua turba contemnit, secure

1. indulget auariciæ, libidini, & alijs uicijs, sicut Ieremias Cap. 51. de Babilone dicit. Curauimus Babylonem, & non est sanata. Derelinquamus igitur
2. eam, & eat unusquisq; in terram suam. Sic Moses, & Aaron quanto hortabantur, & docebant diligentius, tanto Pharaon obstinatio reddebatur.
3. Iudei ipsa Christi & Apostolorum prædicatione
4. non emendabantur. Nobis hodie docentibus, idem accidit.

Quid igitur faciemus? Deplorare hominum cæcitatem & obstinaciam possumus, emendare non possumus, Quis enim gaudeat de æterna damnatione pontificum, & qui eos sequuntur? Quis non mallet, ut amplecterentur uerbum, & resipiscerent.

Similem obstinaciam suorum temporum uiderunt,

derunt, Methusalah, Lamech, Noah, Erumpit igitur
eis illa desperationis uox, Spiritus meus, hoc est,
doctrina mea, non amplius iudicabit inter homines.
Quia enim uerbum non uultis amplecti, non uultis
acquiescere in sana doctrina, pereatis.

Sic sunt hæc uerba anxij cordis, & ut scriptu-
ra loquitur, Deus anxius est, hoc est, Cor, Noah, La-
mech, Methusalah, & aliorum sanctorum homi-
num, qui pleni sunt charitate erga omnes, hi post-
quam istam hominum maliciam uident, anguntur,
& dolent. Hæc tristitia est proprie, spiritus sancti,
sicut Paulus Ephe. 4. loquitur, Ne contristetis Spi-
ritum Sanctum Dei. Significat enim Spiritum S.
contristari, quando nos miseri homines conturba-
mur, & torquemur malicia mundi, contemnentis
uerbum, quod in Spiritu Sancto prædicamus. Sicut
Loth turbatus est in Sodomis. Pij Iudei in Babylo-
ne, sub Impio rege belzaser, Ieremias cum prædica-
ret impijs Iudeis, & clamaret Veb mihi quia mater
mea me peperit. Et Micha. Cap. 7. Væ mihi,
factus sum, sicut qui in uinea uuam querit, & non
inuenit.

In eodem Capite.

Omnis prædicator, seu uerbi minister, est uir
rixarum, & iudicij, ac cogitur ex officio
reprehendere quicquid uiciosum est, non
habita ratione, uel personæ, uel officij in auditori-

Omnis
prædica-
tor, erit
uir rixa-
rum &
conturba-
tor.

D

bvs. Hoc

bus. Hoc cum Ieremias sedulo facit, non solum odia
um, sed etiam pericula grauissima sustinet. Moue-
tur igitur, ipse quoq; ad impacientiam, ut optet,
se nunquam esse natum.

Ego quoq; si non singulariter confirmatus
essem a Deo, iam dudum, defatigatus, & fractus
essem, ista pertinacia impoenitentis mundi, ita enim
contristant impij Spiritum Sanctum in nobis, ut cum
Ieremia optemus nonnunquam nihil a nobis esse
ceptum.

Sæpe igitur Deum oro, ut generationem
nostram sinat nobiscum mori, propterea, quod no-
bis sublatis periculosissima tempora sequentur.

Hanc ob causam, Elias quoq; ab impio rege
Ahab uocatur conturbator Israel, quia uidelicet
arguebat idolatriam, Tyrannidem, libidines suorum
temporum.

Nos quoq; hodie habemur pro conturbato-
ribus Germaniæ. Sed bonum signum est, cum ho-
mines nos damnant, & uocant rixarum autores.
Talis enim Spiritus Dei est, qui rixatur cum homi-
nibus, eos arguit, & damnat.

Homines autem tales sunt, ut uelint doceri si-
bi placentia. Sicut apud Micheam Cap. 2. libere
dicunt, Non stillabit super nos. Non enim compre-
hendet nos confusio, inquit domus Iacob. Hoc po-
sterius, est uice rationis. Quia enim uident se esse
domum

domum Iacob, & populum Dei, ideo nolunt castigari, nolunt ad se pertinere, poenas & minas.

LUTHERVS IN GE-

nesim Cap. 23.

HEbronite, tempore Abraham, fuerunt satis pii, & boni. Sed postea, temporibus Mosi & Iosuae, deleti sunt, post amissam uidelicet doctrinam de Deo, & solutam disciplinam. Supra de Sodomitis eadem narrauit Moses, quos, cum liberasset ingenti periculo Abraham, repulsis hostibus, frugi fuere aliquamdiu, Sed post septem annos, tanta flagicia inundaerunt, ut igni, & sulphure caelitus exusti, & consumpti sint.

Homines non diu perseuerant in doctrina Dei, & disciplina, ideo propter defectio- nem ue- nit ira Dei super eos.

Nostra Germania quoq; post tantam lucem Euangelij, tantum, non obsessa uidetur a Diabolo. Iuuentus indomita, & effrenis est, & impatiens disciplinae. Senes, auaricia, usuris, & multis sceleribus infandis, impliciti tenentur. Sic scilicet referimus gratias Deo, pro uerbo gratiae, & filio unigenito. Sicut de Iudaeis, Moses queritur Deute. 32. Popule stulte & insipiens, haecine reddis Domino?

Nihil mirum igitur est, sequi poenas, & calamitates omnis generis. Sed, cursus seculi, & cursus mundi hi sunt. Nos igitur dum tempus habemus, operemur bonum Galat. 5. Quisq; suo loco, discendis sacris, & excolendis moribus, florente &

35. Prophecia.

Admonitio necessaria.

D 2

fulgente

fulgente doctrina Euangelij. Sicut Christus monet.
Dum lucem habetis, in lucem credite. Diabolus
enim contrarium agit, & suas artes, & tenebras,
omnibus ætatibus obtrudit incautis.

Idem in Psalmum 2.

Locutus est DEVS in ira sua, cum Romanos
mitteret contra ciuitatem sanctam Ierusalem:
Cum postea contra Romam mitteret Vanda-
los & Gothos. Hæc fuerunt uasta & grandia uer-
ba ac ferrea uox, quæ potentissimos Monarchas deie-
cit. Tale iræ uerbum, audit hodie Hungaria. Et
germania, audiet, cum per impios affligetur prop-
ter contemptum Euangelij.

36. Pro-
pheta.

In eundem Psalmum.

Impœnitentia, Germaniæ peccatum est, quod
certam minatur ruina. Etsi enim magno
studio hortamur ad amplectendum uerbum, &
abijciendos impios cultus, tamen Episcopi & Prin-
cipes quidam, non audiunt, sed magis accendantur
contra nos. Expectabimus nos quoq; hanc iræ uo-
cem, quam inuiti, & pereuntes cogentur audire
impij. Interim facimus, sicut Loth in Sodomis:
Sicut Abraham in medio Chaldeorum: Sicut Iere-
mias Ierosolymis: sicut captiui in Babylone. Hi
enim, & si sanare impium mundum conarentur,
tamen non potuerunt, sed passi quoq; sunt indigna,
afflictabatur eorum anima, diu, multumq;. Nec nos
hodie

hodie sine ingenti animarum dolore, audimus bla-
sphemias, & uidemus idolatriam pontificiam, Sed
quid faciamus? Sanari nolunt: Et sicut Apostoli
Hierosolymam non potuerunt reuocare ad pœni-
tentiam, Ita nostri Episcopi urgent interitum suum.
Hec feramus, dum Dominus incipiet eis concionari,
non tali uoce, qualis nostra est, quam contemnunt
tanquam somnum, sed uoce iræ, quæ euertit, uno spi-
ritu imperia, & regna.

Docemur autem talibus exemplis, quod ubi-
cunq; est uerbum, ibi certa calamitas & uastitas se- 37. Pro-
quitur, propter illos, qui uerbo se opponunt. Et ta- phetia,
men uerbum in istis ruinis mundi, non ruet, sed sta-
bit firmum. Stabit Ecclesia quoq; , quantumcumq;
afflicta aut exigua sit. Non enim ideo, quia impij
conturbantur, rex hic desinet rex esse, Sed ideo lo-
quitur in ira sua, ideo turbat suos hostes, ut uerbum
& Ecclesia maneant salua. Nam hoc Ecclesia sola
per uirtutem Dei potest, quod patitur, & tamen
non corrui, sed manet, imo sub cruce uires sumit,
& crescit.

In Genesim Cap. 6.

Apparet primi mundi, extremam fuisse secu-
ritatem, qui, cum centum, & uiginti annos
haberet, tamen obstinatus in libidinibus suis
permansit, etiam ridens pontificem suum, iusticiæ
præconem Noah.

Verum
testimo-
nium.

Ablatio
plorū, est
malum
signum.

58. Pro-
pheta.

Verum
testimo-
nium.

Consola-
tio.

Hodie, cum instet dies Domini, fere eadem
fiunt, hortamur ad poenitentiam Papistas, hortamur
nostros nobiles, Ciues, & Rusticos, monemus, ne per-
gant contemnere uerbum, nam Deus id inultum
non relinquet. Sed consumimus fortitudinem no-
stram frustra, sicut scriptura dicit, Pauci fideles ædi-
ficantur, hi paulatim colliguntur a facie malicie, &
nemo est, qui intelligat, sicut Esai. 56. dicitur. Sed
postquam ad hunc modum triticum excussit Domi-
nus, & collegit grana in suum locum, quid putas de
paleis futurum esse? Nimirum, comburentur igni
inextinguibili Matth. 3. Hæc mundi erit fortuna.

Sed non intelligit iam hoc agi, ut per Euan-
gelij doctrinam separetur triticum a palea, & con-
gregetur in horreum, ut postea palee, hoc est, in-
credulorum turba, in tenebris, & idolatria posita,
tradatur igni, sicut scriptum est, in die salutis adiui-
te, & seruaui te, Esa. 49.

Hunc diem salutis, qui prætermittunt, hi De-
um habebunt ultorem. Non enim uult sumere ina-
nem operam, in triturandis inanibus paleis. Sed
mundus est Caro, non obsequitur. Imo quanto pro-
pior & uicinior est calamitati, tanto est securior,
tanto contemnit liberius omnes pias admonitiones.
Hoc scandalum, etsi pios mouet, tamen statuere de-
bemus, Deum non frustra per spiritum suum argue-
re mundum, nec frustra contristari spiritum sanctum
in pijs.

in pijs. Ac utitur hoc ipso exemplo Christus, cum
nostri sæculi impietatem, & securitatem prædicat.
Erunt inquit, sicut tempore Noah, & Loth Matth.
24.

In idem Caput.

Horribile est autem, quod Nohe prædicatio,
sic secure contempta est, ut non solum ex
Cainitis nemo, sed ne ex Adæ quidem poste- **Horribile**
ris, emendaretur. Coactus igitur Noah est uidere in- **Exemplū.**
teritum fratrum, Sororum, propinquorum, affinium
sine numero, qui omnes, pium senem, & prædicati-
onem eius riserunt tanquam anilem fabulam.

Proponitur autem horribile hoc exemplum
ideo, ne nos perseueremus in peccatis. Si enim De-
us originali mundo, qui optimus, & ipse flos mun-
di, seu adolescentia fuit, in quo tot sancti uiri uixe-
runt, non pepercit, Sed sicut in psal est, Dimisit eos
secundum desideria cordis sui, & abiicit tanquam
non pertinentem ad promissionem, Ecclesiæ factam, **39. Pro-**
Quanto minus, nobis parcat, qui tales prærogati- **phæcia.**
uas non habemus?

In Genesim Capite. 10.

Vocat autem Moses Nimrod, robustum uena-
torem, cui nemo resistere potuit. Habent
enim cum Apostasia, & perfidia, coniun-
ctam potentiam, Tyranni, quia muniti facile perfi-
ciunt quod uolunt. Mihi uero non dubium est, quin

Ut Cain
a patre
Adā: Sic
Nimrod
ab auo
Noah dis-
cedit, &
nouā Re-
ligiō

D 4

Moses

ligionem
instituit.

Moses uoluerit, hac quasi pictura, complecti legendam omnium Tyrannorum, qui etiam posterioribus temporibus, in rempublicam, & Ecclesiam erant grassaturi, quod uocat Nimrod potentem persecutorem sanctorum Dei, & hostem uerbi, ac Ecclesie. Nimrod enim fatale nomen est, & dicitur, a marad, quod significat Apostatare, & rebellare, siue quod inuasit bello fratres, & maxime piorum familias, ut amplificaret fines suos.

In Caput undecimum.

HAEc est gratiae ira, cum poena festinat, & nos a peccato reuocat. Sed cum Deus dissimulat peccatum, & quasi conuiuet, tum sequitur intollerabilis ira, quae fine caret. Talis fuit diluuij, & haec de qua Moses hoc loco commemorat. Sicut enim Deus posteros Ham, etiam dum peccant, foelices esse, & tam diu in peccatis fuit pergere, dum ciuitatem & turrum aedificant, sed postea sequitur, tanto maior calamitas.

40. Prophecia.

Itaq; sentiamus, Turcam & papam, qui tam diu foelices sunt, horribilissimum manere iudicium, quale a principio mundi nemo sensit, Nullius enim impietatem, & summas blasphemias tam diu dissimulauit Deus, Vincet igitur poena eorum, poenam diluuij, dispersionis, & Sodomorum, erit enim aeterna ira.

In undecimum Caput Gene.

Impossibile

Impossibile est, ut pontificum Tyrannis, longius possit durare, Roma enim, sic omnis generis sceleribus inquinata est, ut non possit esse peior, nisi fiat ipse infernus. Adhæc, accedit horribilis idolomania, & inflammant reges ac principes, ad confirmandam impietatem, & ueritatem opprimendam. In tantis peccatis, cum metu pœnarum, (quarum nos quoq; Prophetæ sumus,) carere non possint, sumunt tamen quasi cornua, & ut Prophetæ loquitur, ponunt æneam frontem, & simulant se nihil metuere, Ideo quoq; nihil de impietate sua minuunt, sed eam fortiter urgent, & augent.

41. Prophecia.

D. Lutherus nominat se Prophetam.

In idem Caput.

Verum est uerbum, quod omnis Apostata est persecutor sui ordinis. Nam quia Ham, cum sua posteritate, ab Ecclesia discessit, hoc egit postea, ut Ecclesiam premeret, & se, ac suos eueheret. Sic Sathan, postquam discessit a Deo, & angelis, seu cœlesti Ecclesia, Deum, & Ecclesiam immuni odio prosequitur. Et, ut hoc cum successu aliquo possit facere, se transformat in angelum lucis, & sibi diuinitatem sumit.

Doctrina, huic tempori defectio- nis admodum necessaria.

Decet autem pios facere paria, ut, postquam Satanae Ecclesiam deseruerunt, & ab ea apostarunt, eam odisse quoq; incipiant. Sic nos Dei gratia sumus sancti Apostatae, defecimus enim ab Antichristo, & Satanae Ecclesia, & coniunximus nos cum

Sicut Gebeonitæ, Iosua. 9.

D 5

filio Dei

filio Dei, & uera Ecclesia, cum hac nos stare, & falsam Ecclesiam oppugnare decet.

Dux no-
tae falsae
Ecclesiae.

Ibidem.

Nam falsa Ecclesia, semper est persecutrix uerae Ecclesiae, non tantum spiritualiter, per falsam doctrinam, & impios cultus, sed etiam corporaliter, per gladium, & Tyrannidem, exemplo, & imitatione Cain & Ham, ac Nimrod. Nam Satan qui mendax & homicida est, acerbissime odit ueram Ecclesiam.

Satan in-
citat alios,
ut uel
Ecclesiam
delere co-
nentur:

Allos ut
sophisma-
tum praefi-
stigijs eas
turbent.

Lutherus in Psalmum 133.

ITaq; uarijs calamitatibus subiicimur, quia benedictionem tam liberaliter oblatam contemnimus. Quamquam, ne quidem calamitatibus, & flagellis mundus sanatur. Quid enim profuit, toties exerceri Iudeos, omnis generis malis? Itaq; ad extremum funditus eos delere necesse fuit.

42. Pro-
pheta.

Sic Sodomis frustra concionabatur Loth. Primo mundo frustra concionabatur Noah. Idem periculum, nos Germanos quoq; manet, pestibus, bello, fame, non emendamur, nec meliores reddimur: Itaq; sequetur interitus.

In Psalmum. 123.

Sed etsi hic VVittenbergae, Noribergae, & in alijs locis ruet uerbi ministerium, propter ingratitude, tamen non ubiq; ruet. Nolebant Apostolos Iudei, gentes igitur eos admiserunt. Sic

runt. Sic & si nunc ea loca in quibus nunc Euange-
lion docetur, hanc doctrinam propter ingrati-
tudinem amittent, tamen excitabit Deus alibi Doctores
& auditores, ut huic sacerdoti regnum suum ma-
neat.

Isti autem, qui pios doctores ita contempse-
runt, patientur seductoribus, sicut ante oculos mul-
tarum magnarum ciuitatum exempla hodie sunt.
Boni & fidelis serui est, non frangi, sed durare, eti-
am tum, cum sentit se repletum esse despectione.

43. Pro-
phecia.

In eundem Psalmum.

Nunc quidem magna copia uerbum obtrudi-
tur mundo, docetur in templis, scribitur in
libris, proponitur in psalmis & canticis,
etiam in parietibus pingitur. Sed quid fit? Ma-
gistratus occupatur alijs, & ridet hanc nostram
sollicitam curam propagandi uerbi: Maxima pars
principum & regum impie persequuntur, & exe-
crantur, ciues negligunt: Rustici magis amant Io-
achimicos nummos, quam omnes conciones & pa-
stores: Nos ipsi denique stertimus. Hoc an putas
Deo placere posse?

Post, cum preminur à Turcis, cum annona
caritas, aut bellorum metus est, querulamur. Sunt
sane satis magna mala, quibus hodie premitur mun-
dus. Sed quid sunt ad hoc quod crucifigis Dei fili-
um, & conspicias saluatorem tuum, securissimo ani-
mo? Quid

mo? Quid enim est aliud, quàm uerbum Dei, quod propter salutem tuam reuelatur & offertur, irreligiose accipere, & præferre pacem, pecuniam, & alia leuissima huius uitæ commoda, &c.

Ad Galatas Cap. 6.

E Vcratitæ abusi sunt, hoc loco Pauli, pro confirmanda phanatica opinione sua, contra coniugium, atq; eum hoc modo interpretati Galat. 6. sunt. Qui seminat in carne, metet corruptionem. Id est, Qui ducit uxorem, damnabitur. Ergo uxor est res damnata, & Matrimonium est malum, quia in eo, fit seminatio in carne.

Turpes illæ bestię, adeo omni iudicio caruerunt, ut non uiderent, quid ageret Apostolus. Ideo ista admoneo, ut uideatis Diabolum, facillime posse auertere à ueritate, corda simplicia, per suos ministros.

44. Prophecia.

Tales infinitos, breui habebit, imo iam multos habet Germania, quia pios alibi persequitur, & occidit, alibi negligit.

In Caput 9. Geneseos.

M Anifestum signum imminentis maledictionis, & calamitatis est, inobedientia erga parentes, contemptus ministerij, & Magistratus.

Cum enim inciperent Patriarchas Noah, Sem, Iaphet, Eber, in primo mundo ridere, & auctoritatem eorum

tem eorum contemnere, sequebatur dilunium.

Cum in populo Iuda inciperet puer tumultuari contra senem, sicut Esa. 3. est, ruit Hierusalem, & concidit Iuda. Hæc morum corruptela omen certissimum est, futuri mali. Itaq; Germaniæ quoq; merito timemus in tanta disciplinæ dissolutione.

45. Prophecia.

IOANNES TYMANNVS

Amsterdamus Christiano, & candido, lectori.

HÆ, sancti D. Lutheri querimonie, & legales prædictiones, de futuris calamitatibus, arbitror, nobis, qui in hanc miseram mundi senectam, ac fere delirium incidimus, esse, admodum utiles & necessarias, ob uarias, & graues causas.

Principio, admonent nos, ad animi robur, & constantiam, ut ad patientiam nos paremus, ac discamus, ante, & extra crucem, ferre, futuras, Sathane furias, & ictus, conantis Ecclesiam Christi lacere, ac suam Ecclesiam stabilire.

Hoc enim fine, Christus Apostolos suos, de futura calamitate præmonere studuit, Ait enim, Mementote sermonis mei, quem dixi uobis, Non est seruius Maior Domino suo Ioan. 15. Et Cap. 16. Hæc locutus sum uobis, ne quid offendamini, Et, Hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiscamini eorum, quod ego dixi uobis. Cruce, nihil est carni

est carni odiosus. Hinc illam sentiens, facile offenditur, ut, uel damnari se, uel ne curæ quidem Deo, se esse, sentiat. Offensa, autem, retrocedit, sicut contigit Petro, & reliquis Apostolis, quando quid accidit, preter, & quàm sperauerant.

Seminarium enim offendiculi est, meliora sibi polliceri, quàm sint euentura. Igitur, qui cauere cupit, ne aliquando offendatur, illi curandum est, ne, si Christo adherere uelit, delicias, prosperitatem, pacem, & tranquillitatem, in hoc seculo expectet, sed odium mundi, persecutiones, & omnis generis afflictiones. Etenim nemo offenditur, ex eo, quod sibi tamen, ante euenturum cogitauit. Rebus quoque letis, & optatis, nemo offenditur. Si accidunt leta & prospera, ei, qui aduersa expectauit, non offenditur. Offensio est, ex tristibus, iisque non expectatis.

Quapropter optima & prima cautio est, si nolis offendi, ut nihil aliud in hoc seculo expectes, quàm tribulationes, & afflictiones. Si res melius ceciderint, habebis unde gratias agas, non unde offendaris. Si euenerit quod expectasti, non poteris offendi, cum idem euenturum, tibi prædictum sit, & cogitaris iam antea uenturum.

De hac causa, seu fine, lugubrium uaticiniorum, & de ipsis miseris nouissimæ etatis, sic scribit noster Philippus, Non est similis temporum fortuna, & Deus ipse prædixit, maiores imperiorum, &

Ecclesiæ

Ecclesie dilacerationes, in extrema senectâ mundi
futuras esse, quam fuerunt patrum, & Prophetarum
temporibus.

Et tamen quælibet ætas, multa tristia exempla
habet. Est fœlicior gubernatio Davidis, quam
Ezechie, & tamen habuit suas calamitates. Nos
autem hac ætatæ urgemur, non solum etatis infir-
mitate, sed etiam mole poenarum quæ cumulata
sunt, propter idola, & alia scelera. Maior etiam
in Diabolo rabies est, sentiente, instare tempus ex-
tremi iudicij, in quo sibi maiores cruciatus, in om-
nem æternitatem certe propositas esse nouit.

Necessarium igitur est, huius uitæ ærumnas, &
nostræ etatis uarias molestias, & offensiones, quæ
languescunt animum, intelligere, ut animi præpa-
rentur, ad ea mala recte ferenda, & ad atroces ca-
sus nos muniamus, ne fracti, uel impatientia, uel de-
speratione, uocationem deseramus, Et sciamus à
Deo petendum auxilium, qui calamitates, & Eccle-
sia, & priuatas, inuocantibus mitigabit, nec accen-
dat totam iram suam.

Tanti enim fluctus, & tristes casus, excipiunt,
gubernantem, uel Ecclesiam, uel Rempub: ut fateri
cogamur, tantam molem rerum, non posse sustineri,
humano consilio, & humanis uiribus, sicut psalmus
ait, Nisi Dominus edif, &c. Nec prudentia humana
impedire ærumnæ in uniuersum possunt, nec tristes
casus. Hæc ille. Alterat

Altera causa est, ob quam iudicem, hæc futurorum euentuum uaticinia, esse nostræ meditationi salutaria, quod peccatores hortantur, ad pœnitentiam, ut deposita carnali securitate, & indulgentia, (quibus caro, lasciuire solet, laxans frenos cupiditatibus, tempore scelici,) ad timorem Dei flectantur, exemplo Niniue, & Achab.

Hoc enim sine sancti Prophetæ, spiritu Dei eruditi, populo, proponebant, impendentes calamitates, ut per terrefacti iudicio Dei, ac merita pœnæ, ad pœnitentiam excitarentur, & emendatio uitæ, futuras pœnas, aut mittigaret, seu tolleret, per Christum, Hunc cultum, hanc obedientiam perpetuo, prestarunt pij, legalibus Prophecij, ne cum mundo sint securi, sed in timore Dei uiuant, certi futurum aliquem diem Domini quo impiorum peccata uisitabit. Qui hoc faciunt, hos aut eximet per mortem Dominus futuris calamitatibus sicut Lutherum, sanctum Dei organum euocauit, ante hos motus Dominus: Et sicut, de Iosia, scriptura dicit. Aut in ipsa calamitate, consolabitur, & teget, sicut Ieremiam & Baruch in Ierusalem, Et Daniele apud Babylonios.

Tertia causa est. Quod his Lutheri prognosticis, Deus palam facit, & declarat, suum fuisse Lutheri uerbum, & suam etus doctrinam, Cuius prædicationem, scripta, & Prophetias, eo ipso confirmat, &

mat, & glorificat, quia iam fit, quod longe, ante a
Doctore suo Luthero, praedictum est. Quemad-
modum, Ieremias praedixit captiuitatem babyloni-
cam, & Hananiam infra annum moriturum esse,
quia aduersus Deum locutus est, Et respondit euen-
tus uaticinio.

Ceterum, & huius meminisci oportet, nos,
non minus opus habere consolatorijs prophecijs,
quando Sathan cribrat, mundus conculcat, & om-
nia tumultuantur contra pios: quam, opus uerbis
duris & comminatorijs, cum ex animi sententia om-
nia cedunt.

Nam, ut tempus foelix, & faustum, multis, oc-
casio est magnorum lapsuum, & atrocium poena-
rum, Sicut David, alioqui bonus, & salutaris prin-
ceps, tempore pacis nimium sibi indulgens, pernici-
ose ruit, rapta amici coniuge, & marito interfecto,
uiro sancto & forti, & accersit sibi exilium: Ita
quoq; calamitates, non carent suis periculis, sed ad-
ducunt omnis generis grauia peccata, & exicia, in-
incredulis, uerbi diuini consolatione destitutis.

Achas in cruce, de ope diuina desperans, co-
natur sibi mederi, Syriorum dijs.

Saul confugit ad inconcessa auxilia, & con-
sultat mulierem magicam, Et imperatores Graeci
constantinopolitani attraxerunt Turcas.

Rabsaces apud Esaiam & belsazar apud Da-
nielem,

E

nielem,

nielem, uterq; insolescit uictoria, & blasphemat
Deum cœli, laudant sua idola, tamquam largitores
tanti successus, Deum autem Israel contemnunt, &
rident, tamquam Deum inbellem qui non potuerit
suos liberare.

Magnus macedo Alexander, uictorijs ornatus,
factus est insolentior, interficit amicos, uult coli ut
Deus, sed deiecit cum Deus ex fastigio, & sagitta
ictus occubuit.

Caligula Romanorum imperator, cogitans se
potentia sua excessisse fastigium Principum & re-
gum, asseruit sibi ex eo diuinam maiestatem, sed
paulò post, necesse habuit percussoribus ceruicem
dare, & foeda morte perire.

Themistocles, & Lucullus, pertasi laborum rei-
pub: se uoluptatibus dederunt.

Alcibiades, uictus impatientia, agit contra
patriam.

Cato superatus dolore, agit contra iusticiam.
Aristotelem, dicunt dolore extinctum.

Brutus, Cicero, calamitatem augent, stulta cu-
ratione, dum cogitant restitui posse, ueterem sta-
tum, Reipub: at falluntur.

Hæc pericula, cum foelicium euentuum, tum
incommodorum, Salomon attendens, precatur, In-
opiam & diuitias, ne dederis mihi. Demensum me-
um suppedita mihi, ne ubi satur fuero, menciari ac
dicam,

dicam, Quis est Deus? Neue per inopiam furtum
committam, & polluam nomen Dei mei Prouerb.
30.

Hanc ob causam, ne pusillanimes conscientie
quæ facile conteruntur, ex præscriptis acetosis uati-
cinijs, animum desponderent, uolui, illis adijcere ali-
quas Euangelicas, & consolatorias sententias.
Quamquam, & legales illæ recte intellectæ, suam
quoq; consolationem impartiant. Cum enim, lo-
quuntur de Imperiorum pœnis, qui, suauius rident,
& ludos faciunt, ex comminationibus, ut generi
Loth, Gen. 17. ad quas pijs, exemplo Iosif, tremunt,
ac pœnitent, ideo tales acerbæ prædictiones, perti-
nent ad piam Ecclesiam confirmandam, & stabili-
endam. Spero autem pijs, maximeq; illis simplici-
bus pastoribus, qui præ inopia carent librorum ua-
rietate & supellectile, hanc meam operam & pro-
futuram, & gratam fore, in Domino, Amen.

ALTERA PARS, PROPHE-
tiarum, & Sententiarum, D. Lutheri, quæ
utiles sunt, ad Consolationem, in omni
genere Calamitatum, Oeconomica-
rum, Politicarum &
Ecclesiasticarum.

LV THERVS IN GE-

nesim Cap. II.

**Exēpla,
Ecclesiæ
conserua-
tæ in cru-
ce.**
**1. Cōsola-
tio contra
calami-
tates hu-
ius uitæ,
ex exem-
plis cōser-
uata
Ecclesiæ.
Dei con-
silio, pu-
niuntur
mali: bo-
ni autem
seruātur.**

Porrò, sunt exempla, etiam posteriorum tem-
porum, quæ testantur DEum singulari con-
silio, & pro ineffabili sua misericordia, non
sic abijcere genus humanum, tempore furoris, &
iræ suæ, quin conseruet, sicut Esaias Cap. I. & IO.
loquitur, reliquias Ecclesiæ. Sic tempore Baby-
lonicæ captiuitatis, seruati sunt Ieremias, Daniel, &
alij. Hos aluit, & fouit promissionibus uerbi, ut ipsi
quoq; Ecclesiam ad posteros transmitterent.

Sic Romanis temporibus, cum iniquitates im-
piæ Synagoge, completæ essent, reliquie, ceu semi-
narium, seruatae sunt, per quas, etiam gentes ad
Christi cognitionem uenerunt. Ita Ecclesia semper
conseruata est diuinitus, in mundo per eū, qui serpē-
tis caput contriuit.

In Genesim Cap. 3.

**2. Cōsola-
tio ex spe,
resurrecti-
onis, &
uitæ
æternæ.**

Necessè est, ut nos contra pericula console-
mur, & ad patientiam assuefaciamus ani-
mos nostros. Siquidem uidemus has cala-
mitates, imponi etiam electis, qui habent spem re-
surrectionis, & uitæ æternæ. Porro, hæc spes,
cum reliqua sit calamitosis hominibus, decet nos
esse magno animo, & spe hac uincere mala, non
enim sumus perpetuo hic mansuri. Sicut igitur
qui peregre abeunt, etiam sicubi sordidum hospi-
tem nacti

tem nacti sunt, sic se consolantur, quod unius noctis
ea molestia sit, siue esuriendum, siue duriter cuban-
dum est. Ita, nos quoq; in medijs hisce calamitati-
bus cogitemus. Quid enim sunt duo aut tres anni,
quos dormiendo pene fallimus, collati ad æternita-
tem?

Veniant igitur, sicut Dominus singulis distri-
buit aduersitates, siue in Oeconomia, siue in Politia,
& Ecclesia, non tamen paciemur nos commoueri
ad impatientiam. Non ideo, uel Politiam, uel Oeco-
nomiam, uel Ecclesiæ curam abijciemus. Non decet
hæc mollicies, fortes milites, ut ad primum impetum
hostium, abijciant arma, & fugiant. Quasi uero,
ad uoluptates, & ocium non ad laborem, & nego-
cia, destinati simus, Tu, ne cede malis, sed contra au-
dentior ito, inquit poeta. Hoc autem tum poterim-
us, si his temporalibus incommodis, opposuerimus
spem resurrectionis, & uitæ æternæ, &c.

In Caput 4. Gene.

Magna autem, tum doctrina, tum consolatio
in eo nobis proponitur, cum utramq;
Ecclesiam, hypocriticam & ueram, ab his
duobus, fratribus Cain, & Habel, ceu fontibus de-
ducimus, & obseruamus, quam mirabili consilio,
Deus ita gubernauerit semper, ut uera Ecclesia alio
tempore maior, alio minor fuerit. Et tamen semper
ita, ut hypocritica, & sanguinaria Ecclesia, habue-

3. Conso-
latio
quod Dei
consilio,
Ecclesia
uera, per-
petuo fu-
it affli-
cta.

rit gloriam coram mundo: & ueram, ac Deo dilectam Ecclesiam crucifixerit. Iam enim tum incepit practica promissionis diuinae, quod semen serpentis, momordit calcaneum benedicti seminis. Sicut adhuc hodie experimur. Non igitur terreri nos ista fortuna decet. Consolationi potius esse debet, quod usu discimus, eadem nobiscum geri ab aduersarijs, quæ cum Habel iusto, sanguinarius Cain gessit.

**Ecclesiae
nomen
pñs eripitur,
& tribuitur
impñs.**

**Christus
est a regibus,
& sacerdotibus
occisus.**

Afflictiones

Non enim nunc primum accidit, ut nobis Ecclesiae nomen eripiatur, ut uocemur heretici: & qui occidunt nos, se ueram, & solum Ecclesiam esse gloriantur, idq; nomen, ferro, & omni genere crudelitatis sibi uindictent. Idem Habel iusto accidit. Idem Domino nostro Christo, qui non Sacerdos, non rex erat Hierosolimis, sed à sacerdotibus & regibus arripiebatur ad crucem. Oportet autem sicut Paulus dicit, nos conformes fieri Christo.

Occiditur autem Habel, non propter politicum, aut Oeconomicum negocium, sed propter cultum Dei.

Hoc autem est scandalum illud, contra quod nobis pugnandum est, ne ideo putemus nos non esse Ecclesiam, quia aduersarij nos sic secure damnant, & omni crudulitate persequuntur.

Sed, ut crucem, & iudicia ista statuamus esse uera, & infallibilia signa uerae Ecclesiae, sicut etiam,
Psalms

Psalms 10. ostendit. Et Psalmus 72. Preciosus habetur sanguis eorum coram ipso. Et Psal. 117. Preciosa est coram Domino mors sanctorum eius, Hic audis, eos, qui occiduntur ad hunc modum, non ideo Deo, non curae esse, Sed esse hanc mortem Preciosam coram Domino, Igitur, uere sunt populus Dei, quos curat Deus.

sunt infal-
libilia si-
gna ueræ
Ecclesie.

Feramus igitur aduersariorum crudelitatem, & leti Deo gratias agamus, quod non simus in eorum cœtu, qui occidunt, qui propter Ecclesie titulum, inuolant in fortunas aliorum, & crudeliter grassantur etiam in corpora.

Hoc enim omnes, omnium temporum historie, testatur, ueram Ecclesiam semper fuisse patientem, falsam autem fuisse agentem, ueram semper damnatam, ab illa altera hypocritica.

Duplex
Ecclesia
Ecclesia
paciens
& agens
damnata,
& dam-
nans.

Nullum igitur apud nos hodie est dubium, quin papæ Ecclesia sit Cainica. Nos autem sumus uera Ecclesia. Sicut enim Habel Cain non nocuit, ita nos, non solum non nocemus eis, sed benefacimus, & patimur uexari, damnari, occidi nos, ab Ecclesia papæ.

Sequetur autem iudicium, inter Habel & Cain, in quo declarabit Deus, se approbare istam Ecclesiam, patientem: ac damnare hypocritam, & sanguinariam. Hæ sunt nostræ consolationes, & quasi facearum illud, quo præsentis calamitates cõdiende sunt, & uincende.

4. Conso-
latio, sum-
pta, a Dei
iudicio, in
die no-
uissima.

In Genesim Cap. 9.

Quid faciemus miseri, & oppressi nos? Ni-
mirum, consolamur interim animos nostros
dominio spirituali, hoc est, quod scimus nos
habere remissionem peccatorum, & placatum De-
um, per Christum, donec etiam ueniat corporalis li-
beratio in extremo die. Quanquam corporalis
liberationis particulam, etiam in hac uita sentimus.
Dum enim Tyranni pertinaciter se opponunt Euā-
gelio, exciduntur radicitus de terra.

5. Cōso-
latio a
dominio
spiritua-
li.

In eodem Capite.

Ham edificauit ciuitatem, & turrim Babel,
ac late dominatus est. Cum econtra, Sem &
Iaphet egerent, uiuentes misere in taberna-
culis. Ita euentus arguit promissiones, & maledi-
ctiones diuinas, esse intelligendas, non carnaliter de
presenti uita, sed spiritualiter.

Euentus
docet in-
telligere
promissi-
ones.

Pij enim, & si mundo oppressi sunt, tamen sunt
certissimi heredes, & filij Dei.

6. Cōsola-
tio in ce-
ritu Im-
piorum.

Contra, impij, & si ad tempus florent, tamen
succiduntur tandem, & arescunt, sicut Psalmi saepe
monent.

7. Conso-
latio con-
tra con-
temptū.

Si Cain, & Ham, tanquam Maiores: & papa
cum Turca, tanquam eorum posteri propter bre-
uem, & exiguam in hac uita fortunalam, iudicium
ueræ Ecclesiæ possunt contemnere: Cur non nos
uicissim, ipsorum potentiam & iudicium contemni-

mus.

mus, qui certam eternorum bonorum possessionem habemus?

In II. Caput Gene.

Nihil tentationes, cruces, molestie nostrae sunt, cum his patrum tentationibus, crucibus, & molestiis collatae. Etsi enim nos uideamus ingentia in mundo mala, tamen non diu ea uidemus, atq; ideo foeliciores sumus, quod citius ex tam maligno saeculo migramus, Noah, de generes nepotes uidit annis tercentum & quinquaginta. Hoc tempore, quid putamus eum calamitatum non uidisse? Hac parte calamitatis, pius filius Sem, patrem superat. Hic enim quingentis annis post diluuium uixit. O Martyres dignos in quos, omnia saecula intueantur, ut discamus eorum exemplo pacientes esse.

8. Conso-
latio a
breuiore
uitae curri-
culo.

8. Conso-
latio ab
Exemplo
Patrum.

Sic Petrus concionatur, de iusto Loth, flagellatam eius animam, cum intueretur, impia Sodomorum facta. Et Simeon de Maria dicit, Gladium penetraturum animam eius. Nam sancti, sine ingenti dolore animi, mundi malignitatem intueri non possunt.

Sed haec posteriorum cruces nihil sunt, ad illos sanctos patres, qui tantam mundi peruersitatem ad quingentos annos, & amplius uidere coacti sunt.

Paciamur igitur, nos quoq; ista tristia spectra, & tela Sathanae, quae infigit animis nostris. Non

enim melior nostra conditio esse debet, quam san-
ctorum patrum: quanquam ut dixi, in eo melior
est, quod breuiore uitæ curriculo utimur.

In Caput. 10.

Omnibus seculis ita in mūdo compertum est,
quod impij florent sicut scœnum terræ. Con-
tra pij flagellantur quotidie, sicut egregie
Psalmi 37. & 73. concionantur, sed dum sic florent
uerè ponuntur in lubrico, ut præcipitentur ad in-
teritum.

Graue fuit Lazaro intueri, in tantis doloribus
diuitem, affluentem omnium rerum copia, sed spe-
ctaculum quod post mortem in inferno diues ille ex-
hibet, an non miserrimum est?

Non igitur offendamur ista impiorum foelici-
tate, Aperiamus oculos spiritus, & cogitemus eos
frui transituris, & fallacibus bonis in hoc mundo,
quæ etiam auare quærunt, & apponunt cor, ad tale
studium, Igitur non sinit Deus ipsorum conatus fru-
stra esse. Nos autem, qui affligimur, & in timore
Dci uiuimus, habemus spem æterni regni: ubi econ-
tra, impij æternis subijcientur pœnis.

In eodem Capite.

Impiorum fortuna in hac uita semper melior est,
quam piorum. Itaq; posteritas impij Ham, quæ
tamen maledicta erat, (nam Canaan maledictus
est ab auo Noah) non solum superat liberorum
multitudinem

multitudine, sed etiam præstantissimum in toto orbe terrarum locum occupat, & benedictam Sem posteritatem, finibus suis pepulit.

Hæc argumento sunt, Non esse hominem conditum ad hanc uitam. Nam, cum impijs tam sit bene in hac uita, restat alia uita, in qua affligentur. Sicut e contra, Pij in alia uita sentient afflictionum, quas hic sustinent, æternam compensationem.

In Genesim Cap. 12.

Benedicam benedicientibus tibi, Et maledicentibus maledicam. Ecclesia nunquam caret hostibus, & aduersarijs. Odit enim eam, eam Sathan, ideo uarie ei insidiatur, & omnis generis pericula excitat. Hoc, cum Abrahæ posteritas, tanquam uera Ecclesia esset expertura, minatur hic Dominus, futurum, ut Ecclesiæ hostes pœnas dent, se enim in eos animaduersurum.

Sic perijt Pharaon in Egypto, eum hæc ipsa comminatio demersit in mare rubrum, Reges gentium, Seon, Og &c, hæc comminatio, morti obijecit, & perdidit regna eorum, Imo totius mundi regna euersa sunt, quod Ecclesiam lederent, Babylonicum, Assyrium, Græcum, Romanum &c.

Contra, promittit Ecclesiam fouentibus benedictionem. Sic obstetricibus in Egypto edificauit Dominus domus, quod hunc populum non odissent. Sic seruatur meretrix cum familia, per hanc promissionem.

Calamitates piorū,
Et prosperitates
impiorū,
sunt testimonia,
post hanc uitam restare aliam, in qua, bene erit pijs, & male impijs.

Hostes Ecclesiæ perduntur.

Opitulatores & defensores Ecclesiæ, benedicuntur.

Exem-

tur, & te-
guntur,
Sicut De⁹
Abdiam
textit, te-
gentem
Prophe-
tas.

Exempla plura colligat studiosus lector, quo-
modo uarie benedixerit illis Dominus qui uel in Ec-
clesiam, uel in præcipua eius membra, Doctores &
Prophetas, fuerunt benefici. Sic Sarepta, sic Aethi-
ops apud Hieremiam, & alij benedicti sunt.

Psalm. 41. promittuntur defensoribus, & ijs,
qui Ecclesie in ærumnis benefaciunt, præmia.

Abdias abdit Prophetas in speluncas, ne ra-
perentur ad necem, ab impia & Tyrannica regina.

Constantinus textit Ecclesiam, contra Maxen-
tium, & Licinium.

DE QVATVOR CAV-

sis calamitatum Gene. 12.

ALiquando immittit Deus poenas, non quod
inueniat peccatum tali poena dignum, in
homine, sed quod uelit probare fidem, &
patientiam. Nam Hiob, sua uita poenas tales, non
erat commeritus, Erat enim timens, simplex, & re-
ctus, & tamen acerbe flagellatur a Sathana, sic
permittente Domino, ut probaret fidem, & con-
stantiam eius, Sic enim dicit Dominus ad Sathanam:
Tu me commouisti aduersus eum, ut eum percuterem
frustra.

Innocen-
tes sæpe
grauissi-
mis Cala-
mitatib⁹
subijciun-
tur. Vt

Pertinet enim ad erudiendos, & Consolandos
nos, ut discamus, Deum sæpe etiam, innocentes, gra-
uissimis calamitatibus, & poenis subijcere, tantum ut
probet eos. Infirmi autem, cum sentiunt poenas,
statim

statim cogitationem de peccato addunt, & peccatorum has poenas esse iudicant.

Hiohi
Danieli
Ioseph:

Sed statuendum est, pios multa sustinere mala, tantum ut probentur. Sic Dominus, de suo populo dicit Hiere. 49. Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinquêris. Nam Daniel, & eius socij, & si ferrent captiuitatem inter gentes, tamen suis peccatis, captiuitatem non (ut alij) promeruerant.

Sic in seditione rustica, optimi uiri perierunt, non quia in eadem culpa essent cum seditiosis, sed quia inter seditiosos erant. Nam publicæ calamitates nunquam abeunt, quin etiam pij inuoluantur. Hi probantur, Alij autem iudicantur.

Ecclesia
inuoluitur
communibus
periculis
ut Loth
captus cū
alijs Sodomitis.

SAEPE quoq; pij affliguntur, non quod aut sic mereantur peccata ipsorum, aut probentur, sed ut retineantur in humilitate, & non extollantur donis suis. Sic Paulus, de se dicit, datum carni suæ stimulum, ne efferatur, ob excellentes reuelationes. Satanæ Angelus inquit Colaphos mihi impingit, ne extollar. 2. Corin. 12. Quasi dicat, Superbirem donis excellentibus, super omnes Apostolos & fortasse alios contemnerem. Huic malo, medetur Deus, isto Sathanæ stimulo, ut uideam me nihil esse & humiliem me.

Atq; hæc causa est, quod Ecclesia quam Deus
summis

Quare
Ecclesia
uarijs ca-
lamitati-
bus sub-
iecta est.

sumis donis, remissionem peccatorum, spiritu sancto, & aeterna uita donauit, tam uarijs periculis, & calamitatibus subiecta est. Si enim haec dona sine afflictione sentiret, insolesceret, & efferretur.

Sic uideas saepe bonum, & pium hominem exerceri, subinde alijs atq; alijs periculis, & casibus: cum econtra sceleratis & impijs, omnia cedant ex animi sententia.

Haec iniqua conditio stomachum saepe mouet sanctis. Sed si rem recte estimes, cum magno tuo commodo ista pateris, si enim sine tentatione esses, superbires, & damnareris. Nunc cum Deus inopiam, contemptum, morbos, molestam uxorem, immorigeros liberos, tanquam magna ponderis lapidem alligat ceruici tuae, non es quod Graeci dicunt peryphanos, aut superbus, sed demittis ceruicem, & non quasi ex alto contemnis te inferiores donis. Haec de causis calamitatum utiliter disputantur. Non solum enim erudiunt, sed etiam consolantur.

Tertia causa poenarum seu calamitatum est, ut purgemur, seu emendemur. Sic Maria Magdalena, quia impuram uitam agit, septem malis spiritibus exercetur, ut cogatur hoc modo ad poenitentiam, & emendationem uitae. Sic Salomon dicit Prouer. 22. Stulticia ligata est in corde pueri, sed uirga disciplinae fugabit eam. Et Esaias, Vexatio dat intellectum.

Quarta

Quarta causa, illa mirabilis ratio, secundum quam, nihil aliud facit, nisi quod gloriam suam & maiestatem ostendit. Sic cum interrogarent Apostoll de cæco nato, CHR:stus dicit, Neq; ipsum neq; parentes eius peccasse, sed hoc factum esse, ut reuelaretur gloria Dei, hoc est, ut Christus, se hoc miraculo ostenderet esse filium Dei, & inuitaret plures ad fidem, & agnitionem Dei.

Neq; absurdum fuerit, ad hunc ordinem, præsentem historiam Gene. 12. de Pharaone, referre. Nam hoc manifestum est, quod occasione pœnarum, diuinitus inflictarum, rex uenit ad cognitionem Dei, & ueræ religionis. Sed hic finis accidentalis est. Nam textus causam ueram talium pœnarum ostendit, cum dicit, propter Sarai, scilicet propter raptam Saram, pœnas has exegisse Deum.

Ad hunc modum, Sancti patres, ac præcipue Augustinus & Bernardus, de pœnis, & calamitatibus disputant. Vident enim Hiobem innocentem probari, Paulum inclinari, & humiliari, Magdalenam purgari, seu inuitari ad pœnitentiam, in cæco autem simpliciter hoc agi, ut manifestetur gloria Dei.

Itaq; & si uariæ species hæ tentationum sunt, tamen sunt castigatio paterna, & non iræ flagellū, Casti-
quale in Herode, & alijs impijs cernimus, qui inuo- garlo iræ
luuntur atrocibus pœnis, quas tamen postea conse- in impijs.
quitur æterna mors, & damnatio. Hanc

Deus du-
pliciter
castigat
in iudi-
cio, & fu-
rore.

Hanc iram deprecatur Propheta, cum dicit,
Domine ne in furore tuo arguas me, & in ira tua
ne corripas me, Quasi dicat, Argue, non recuso:
etiam me, ut corripas libenter feram, modo absit,
ira & furor. Sic Hieremias pro se, & populo suo
oratur, Corripe me Domine, uerumtamen in iudicio,
& non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me.
Opponit furori iudicium, quo purgamur, & emen-
damur, sed cum moderatione, & ad salutem.

Possent autem colligi plures causæ, propter
quas, nos Deus uisitat, quia sine intermissio-
ne peccamus, & fouemus ac alimus Origina-
le peccatum, cui debetur mors. Sed Deus credenti-
bus hanc æternam pœnam remittit, & commutat
eam, in tales pœnas, quales recensui, quæ tantum
huius præsentis uitæ sunt, & nobis prosunt. Quia
aut probant, aut humiliant, aut emendant, aut glo-
riam Dei illustant.

Sustineamus igitur eas pacienter, & etiam
gratias agamus misericordie Deo, castigantis nos
in iudicio, & non in ira, ut perseuerantes in timore
Tui, seruemur.

In Micham Cap. 7.

Consola-
tio uerbi,
est lux in
tenebris.

Et si sedero in tenebris, Dominus lux mea est,
Michæ. 7. Respice in uerbum, ad hanc lu-
cem spiritualem, de quo Propheta hic lo-
quitur,

quitur, & fencies uinci tenebras illo lumine, ex quo
hi radij consolationum oriuntur.

Corripimur a Domino, ne cum hoc mundo **1. Cor. 11.**
damnemur.

Non sunt dignæ passionis huius temporis, **Rom. 8.**
gloria, quæ reuelabitur in nos.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onera=
ti estis, & ego reficiam uos. **Math. 11.**

Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, **Ezech.**
& uiuat, linum fumigans non extinguet. **33.**

Cor humiliatum, & contritum Deus non de=
spicies. **Esale. 42.**
Pfalm. 51.

Qui relinquit propter me Patrem, & Ma=
trem, centuplum inueniet. Qui uitam propter **Matt. 19.**
me amittit, inueniet. **Ioan. 12.**

Sunt enim infinite huiusmodi sententiæ, in
concionibus Prophetarum, Apostolorum, & Chri=
sti, quæ in ipso sensu calamitatis pijs prælucent, ne
desperant, hoc est, illustrant tenebras carni intolle=
rabiles.

Neq; uero impedit, quod calamitates illæ sunt
pœnæ peccatorum. Nam Propheta statim pecca=
tum, in sua, & sanctorum persona confitetur ac
agnoscit, dicens, Iram Domini portabo, quia pecca=
ui ei. Hoc solum restat, ut tu quoq; peccata tua
agnoscas, & in ijs non pergas obstinate. Castigat **Deus, ut**
Pater quoq; filium, propter peccata, & tamen ipsa **Pater ca**
F **castigatio stigar,**

non ut
Tyrān?

Calami-
tates
quas pec-
cata me-
ruerunt,
pijs fiunt
signa
gratiæ.

Causa
calamita-
rum in-
specta,
facit nos
humiles,
& paci-
entes.

castigatio est signum paterni animi. Sic Paulus di-
cit, Corripi nos a Domino, ne cum hoc mundo dam-
nemur. Fiunt igitur etiam illæ calamitates, quas
propter peccatum infligit Deus, pijs seu pœnitenti-
bus, certa signa Gratiæ Dei, ut uera Sacramenta.
Sicut Epistola ad Hebræos, hunc ipsum locum pul-
cherrime explicat. Cap. 12. Fiunt etiam exercitia
fidei, Fiunt opera obedientiæ, erga Deum, & ha-
bent promissionem compensationum æternarum.

In hanc igitur lucem, nos quoq; intueamur,
oculis, & animo, & fiet sicut Paulus dicit, ut etiam
goremur in tribulationibus Rom. 5.

Ibidem.

IRam Domini feram, quia peccaui ei. Est in-
signis confessio, Agnoscit illam calamitatem
proficisci ex ira, & quidem ex ira Domini.
Deinde nihil dissimulans, addit causam, Quia pec-
caui Domino, ideo plector.

Continet igitur hic locus doctrinam longe
utilissimam, ut nos quoq; in calamitatibus, non tan-
tum mulierum more querulemur, & eiulemus, sed
attollamus oculos, & circumspiciamus de causa ca-
laminatum. Tunc enim fiet, ut non solum, statuamus
nos leuius puniri, quam pro merito, & ideo simus
patientiores, & animo magis presenti. Sed etiam
desinamus peccare, & uiuamus in timore Domini,
que uera pœnitentia est.

Ridiculum

Ridiculum uideri potest, quod Basilius in Epistola quadam, ubi de matris morte queritur, addit, hoc accidisse propter peccata sua, Sed profecto, qui etiam leuissima incommoda, ex hoc fonte nasci sentit, non errat, sed pulchre uiuit in timore Domini.

Nec dissimilis doctrina proponitur, in Psalmo 116. Primum queritur se affligi, ac libere fatetur, omnem hominem esse mendacem, hoc est, omnes homines coram Deo, esse peccatores, & iuste puniri. Postea addit, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, Hoc est, patienter feram poenam, praebebo, me castigandum, & simul innocabo nomen Domini, tanquam, qui iterum sit liberaturus.

Et sicut infra Micha dicit, Cuius ira, non aeterna sed momentanea est.

Nam qui hanc spem amittant, non possunt Deum habere pro Patre, sed pro Tyranno habent, tanquam qui in aeternum irascatur, nec ullum ueniae locum relinquit.

Deus ingratum mundum punit pro merito, & etiam Ecclesiam suam inuoluit communibus periculis, ut correpta à Domino agnoscat peccatum, precetur ueniam, uiuat in timore Domini, resistat carni, & non indulgeat peccato.

Quare.
Ecclesia
inuoluitur
publicis calamitatibus.

Hæc cum Dominus per poenas corporales effecit,

De9 post
castigati-
onem,
ut mitis
Pater,
rursus
blāditur,
ut Ioseph
cū fratri-
bus, &
Lucæ. 15.

Comitia
angusta-
næ, anno
1530.
Anno
1550.

effecit, sicut mitis Pater, iterum blanditur filijs, ite-
rum cos complectitur.

Hæc est illa contentio, & iudicium hoc, affli-
gere scilicet, non ut perdat, sed ut peccatum in no-
bis puniat & perdat. Nos autem saluet, & iterum
consoletur, ut Ieremiæ. 29. Non cogito cogitatio-
nes iræ, sed pacis, &c.

In Psalmum 124.

Nisi Dominus fuisset nobiscum, &c. Com-
mouerat pontifex Romanus, Clemens, ma-
ria omnia, quasi abscorpturus esset, uno spi-
ritu omnes Ecclesias. Diabolus quoq; extrema co-
natus est, & multa millia Diabolorum misit Augu-
stam, qui instigarent principes ad nos opprimen-
dos. Sic erant ibi inundationes. Sed Dominus
pontificis, & Sathanæ impias cogitationes, uoluit
esse irritas, & prohibuit ne fierent. Ita manifesto
miraculo, quod communem modum excedit, seruati
nos sumus. Aduersarij autem nostri, quod Psalmus
septimus dicit, pepererunt uanitatem. Hæc est no-
stra experientia, quam proximo anno uidimus.
Quod igitur post illas Machinationes, & practicas
impiorum, nos rebus nostris in pace fruimur: quod
adhuc hodie docemus Euangelium, & Diabolus
cogitur tacere, ac mundus quiescere, hoc totum fit
beneficio DOMINI, non nostra sapientia & uirtu-
te, quare cum dauide merito canimus. Nisi Domi-
nus fu-

nus fuisset nobiscum cum insurgerent homines Augustæ, contra nos, certe uiuos deglutiuisent nos. Non enim obscurum est, quam cruenta consilia agitaauerint uiri sanguinum, & dolosi Episcopi, Hæc igitur sunt communia miracula, quæ nemo uidet, nisi David & ij, qui habent cognitionem primi præcepti, in quo Deus dicit, se uelle esse Deum, & defensorum nostrum, qui uelit facere misericordiam in millia, his qui diligunt eum.

In Psalmum, 121.

Cum Iulianus persequeretur, diuum Athanasium, & exitium ei minaretur, dixit Athanasius, esse periculum id, simile nubeculæ, quam paulatim sol consumit. Quid potuit quæso dici contemptius, de ui tanta, quam moliebatur caput imperij Romani, quam rectius mari, & infinito incendio comparares? Sed sicut Athanasius dixit, & credit, ita quoq; factum est, Nam Iulianus Paulo post in solitudine quadam in Persis trucidatus est, Athanasius autem mansit incolumis. Huius exemplo, nos quoq; discamus nostra pericula æstimare, & spectare uerbum promittentis, ne, ex nobis, & sensu nostro, sed ex promissione Domini pendeamus. ❀

❀ Antiochus magnus cum redisset in Syriam, & propter inopiam templum quoddam spoliaturus esset, ibi Interfectus est, cum uulgus ad templi defensionem concurreret.

Iulianus.

Athanasius contemptum
minas
Caesaris.

Exitus
implorū.
Iulianus
peric.

Athanasius mansit.

Exitus
impiorū.

In Psalmum. 132.

Neq; enim Sathan, etsi unice id ageret, efficere potuit ut posteritas dauidis deleteretur, antequam Christus natus esset. Ac sane Antiochus Epiphanes præ cæteris magno conatu hoc egit, ut populum hunc eradicaret. Sed sicut Psalmus hic promittit, Quia inimicus fuit sancti populi, confusione inductus est. *

Antiochi
Epsp:
frustra
neus co
natus.

* Porro Antiochus Epiphanes, quia acceperat insignes clades, non solū in Iudea, sed etiam in perſide, animi dolore extinctus est, Alij scribunt excussum e curru tam duriter illsum esse solo, ut inde morbo correptus, extinctus sit.

In Psalmum 2.

Tyranni & potentes in mundo, siue falsi fratres & autores sectarum, ac hæresum, siue etiã conscientia nostra, & quidquid se uerbo opponit, sunt uas figuli. Rex autem noster Christus qui est filius Dei, ac ornatus hoc titulo, quod sit rex regum Apoc. 19. tenet in manu ferreum malleum. Cum igitur inter hos committitur certamen, impossibile est, ut figuli uas præualeat ferro, ferrum comminuet, & conteret testas. †

Vas figuli non potest consistere contra ferreum malleum, Et recalcitratio contra stimulum, Act. 9.

† Zacharia. 12. Ponam Ierusalem lapidem onerosum omnibus populis, & omnes qui eam subleuare contenderunt, lacerando lacerabuntur, In die illã ponam duces Iuda, quasi focum ignis inter ligna, & quasi lampadem ignis, inter manipulum.

Hoc est, Ecclesia ab infidelibus extinguatur non

non poterit, sed qui id annexi fuerint, oppri-
mentur & ledentur ab hoc lapide, & uora-
buntur ab hac Hamma.

Contra potentia mundi & Sathanae com-
paratur, arundinis confractae, Esa. 37. & Ca.
7. titionibus tumigantibus, Esa. 33. feno &
stipulae. Psal. 129. feno in tecto uase figuli
Psalm. 2.

In eundem Psalmum.

Nam ut Psalmus initio dixit, Gentes tumultu-
antur fremunt populi, insurgunt reges, prin-
cipes consultant. Neque abeunt haec, sine
Ecclesiae periculis, & certis incommodis. Sed hic
statuamus, Christum postulasse imperium in gentes,
& à Deo patre id ei traditum.

Inferniat igitur mundus, tumultuetur Satan,
cum toto inferno, non tamen praeualebunt. Nam
Christi regnum est, & erit, ac dominabitur in me-
dio inimicorum suorum. Psalm 110.

Gentes abiiciunt Christum, cum suo summo
periculo, & certissima perditione. Igitur Christi
regnum, hac ratione non leditur. Sed incredulus
mundus, sibi ipsi nocet, & accersit damnationem.
Maior igitur sententia haec, Tradidit Dominus
Christo regi Imperium in omnes gentes. Sicut Chri-
stus dicit, hunc ipsum Psalmi locum quasi enarrans,
Omnis potestas mihi tradita est in caelo, & in terra
Matth. 28.

Est enim
Christus
sicut Da-
niel dicit
lapis qui
implet
rotum or-
bem, huic
qui se
opponit
conterun-
tur in pul-
uerem, idē
Lucæ, 20.

In eundem.

S Vb Ezechia rege miserabilis populi Dei facies erat. Assyrius qui decem tribus captiuas abduxerat, obsidebat Hierosolimam, & ceteras regni Iudæ partes grauiter afflixerat. Ridebat tum Dominus, tanquam de irrito conatu, sed Ecclesia afflicta uidere non poterat. Tota in lachrimis & luctu erat. Sed an non reuelatus est risus Dei tandem? An non Ecclesia quoq; uidere demum incepit, cum una nocte centum millia, & octoginta quinque millia, ab angelo Domini interfecti essent? Videt enim corporalibus suis oculis, uindictam impiorum.

**Exitus
Impiorū.**

**Promissi-
ones de
Impijs re-
primēdis.**

**Cōsolatio
sp̄ritus
Sanctus
contra
mundi
furorem**

Sic postea, captiuus in Babylone populus oculis suis uidet destructionem Babylonis. Sicut Psalmus 91. dicit, Oculis tuis retributionem impiorum uidebis. Michæ. 7. Educet me in lucem, & cum gaudio uidebo iusticiam, seu gratiam eius. Videbit inimica mea, & operiet eam confusio, quæ dicebat mihi, Vbi est Dominus Deus tuus? oculi mei cum gaudio aspicient eam conculcari, sicut ludum platearum. Et Psalm. 68. Pes tuus tingetur sanguine inimicorum tuorum. Et Psalm. 110. Dominus qui est à dextris tuis, percutiet in die iræ suæ reges: iudicabit inter gentes plena erunt loca occisorum cadaueribus, conquassabit capita in terra multorū. Et Psalmo. 2. Habitator cœli, ridet, Et Dominus subsannat

subsannat eos, loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Reget eos sceptro ferreo, Et ut uas figuli confringet eos. Psal. 9. Dominus est refugium oppresso, refugium oportuno tempore, in tribulatione. Et 10. Tu iudicas pro pupillo & paupere. Psal. 72. liberabit pauperem a potente, pauperem cui non est adiutor, Psal. 125. Non permanebit sceptrum impiorum, super sortem iustorum, ne extendant iusti, ad iniusticiam manus suas.

Quid misera repulsa terræ facerent, contra habitatorem cœli.

Conueniunt autem cum his promissionibus, etiam exempla, non solum quæ in sacris literis sunt sed etiam gentium. Perpetuo enim fit, cum impij secure gloriantur, pijs autem affliguntur & genuit, tum in proximo est, ut Deus qui plorantibus & gementibus pijs, Impijs autem secure ferocientibus, risit, commoueatur ad iram. Hæc huius fabulæ est Catastrophæ finalis.

Aduersus Dominum Psal. 2.

HOc in loco spiritus sanctus, opponit infinitæ quasi potentie mundi unicum Dominum, & miratur quod mundus tam stultus sit, ut putet se aliquid contra Dominum effecturum, cum reuera sit sicut scintilla ignis comparata ad totum mare, q. d. Nonne extrema stulticia est, quod scintilla parua conaris totum mare exiccare?

Et consolatio in hoc maior & abundantior

F 5

est quod

est quod non nos sumus qui petimur ab irato, & furis agitato mundo, sed petitur ipse Christus Dei, qui est caput Ecclesie, & ipse Deus, qui est caput Christi, & ipsa sancta catholica Ecclesia quae est utriusq; corpus, &c. Cur igitur pauemus, cur trepidamus, ad tam stultos, & irritos conatus. Cur non potius ridemus, extremam mundi stulticiam. †

† Saul Saul cur me persequeris Act. 9. Vivit enim in suis CHRISTUS qui & dixit, Quatenus fecisti uni de hisce minimis meis fratribus, mihi fecisti. Et clarius, Ego inquit sum Ihesus quem tu persequeris.

O magna Dei mysteria. O magnam eorum miseriam qui, fideles fidei nomine persequuntur.

In Psalmum. 123.

Verbum, & Ecclesia sicut Palma, quanto premebatur grauius, tanto indies maiora incrementa sumebat. Sicut etiam figura populi Israel in Aegypto ostendit. Sic enim dicit Mose. Exo. 1. Quanto eos Aegyptij opprimebant magis, tanto magis multiplicabantur, & crescebant. Sic insignis ueteris Ecclesie sententia est. Sanguine Martyrum rigari Ecclesiam.

Ratio huius mirabilis edificationis, & incrementi haec est, quod ubicunq; ficitur Deo, & habetur uerbum, ibi necesse est esse uictoriam, etiamsi sancti uastentur, occidantur, & percant, etiamsi ipse
Deus

Deus uideatur eos deseruisse, & simul cum sanctis opprimi. Ita enim solet Deus, cum infirmissimus est, tum est potentissimus: & cum obruitur in suis, tum maxime in suis uiuit, exaltatur, & minuendo crescit.

In Psalmum 125.

Anno. 30.

Augusta, in proximis comicijs, in tanto consensu principum, causa nostra uidebatur plane corruisse. Sic enim nostros dimiserunt, cum hac ultima responsione, Se coiuncturos non solum uires, & opes, sed sanguinem etiam ad nostram doctrinam opprimendam.

Non obscura est pontificum & Episcoporum uoluntas, quod æquiore animo ferrent Turcæ Imperium, item Diaboli, & omnium furiarum, quam quod nos coguntur uidere incolumes, &c. Et tamen adhuc uiuimus, contra Satanae, Pontificis, & omnium uerbi hostium, uoluntatem. Hisce certaminibus assuesciendum est, ut non frangamur statim animo, cum uidemus inclinari causam nostram. Sed quanto plus periculi est, tanto speremus pertinacius, ita fiet tandem, ut uicti uincamus, & uictor nobis det manus.

Hoc est quod Psalmus canit, Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur, sed in æternum permanebunt.

Profecto insignis promissio, quod certum sit
nos man-

nos mansuros. Si igitur non manemus, nostra ea culpa est, quod non perstamus in fide. Necesse enim est promissionem hanc ueram esse. Sicut enim impossibile est, ut Deus seipsum neget, & nō sit Deus: sic impossibile est, ut deserat sperantes in ipsum.

Mora
ferenda.

Sed non oportet offendi mora, quæ intercedit. Neq; enim Dei potentia prius potest habere locū, quam nos ad extremum usq; simus, ut scripturæ uerbo utar, exinaniti, & exuti omnibus præsijs.

Matth. 8.
Matt. 14.

Ad hunc modum cum nauicula iam tota obruta, & pereuntem iam, Pereuntem inquam seruat, sicut gemine Euangelij historie, una de uanicula, altera de Petri periculo testantur. Quamdiu autem periculum uidetur, nostro consilio depelli posse, non opus est auxilio diuino.

Affuesca-
mus igitur,
ad has tem-
pestates,
in quibus
uiuendū,
& assi-
duo Chri-
stianis
uersandū
est.

Sed ad hanc sapientiam impossibile est nos uenire, nisi assiduis afflictionibus, quibus, frangi fiduciam carnalium præsidiorum necesse est. Vexatio enim secundum Esaiam, dat hunc intellectum, ut clamemus. O Domine actum est, succurre tu nobis.

Dei con-
fidendū,
& tamen
media ab
ipso con-
dita, non
negligen-
da sunt.

Discendum igitur est, ut nos conijciamus fide in uerbum. Nam uictoria nostra, nihil aliud est quam fides. Etsi enim munitiones & arma habent suum locum, tamen in eis nihil præsidij est, nisi adsit fiducia in Deum, quam primum præceptum nobis proponit.

Quando igitur Deus talem hominem inuenit,
conuenien-

conuenientem cum sua natura; hoc est, qui credit in periculis auxilium: in Morte uitam: in inopia opes, in peccatis iusticiam, idq; tantum propter misericordiam Dei, seu Christum, talem hominem Deus neq; odisse, neq; deserere potest. Est enim uerus Dei seruus, & cultor, dum confidit in misericordia Dei.

In Psalmum. 129.

Magna Iudaici populi consolatio fuit, cum affligerentur & uastarentur, quod scirent accidere ista, non simpliciter uoluntate hostium aut uiribus, multo minus propter iusticiam & meritum hostium, sed simpliciter uoluntate DEI, sic punientis peccata populi sui, imo id in Prophetis comminantis, & prædicentis, quod inobedientes affligere uelit. Hæc consolatio non est exigua, ut in calamitate dicas, flagellum Dei hoc est, sic uisitantis peccatum meum: non est ira, aut meritum aduersariorum meorum. Porro, hæc ad nos quoq; debemus transferre ut sentiamus, quando succumbimus, nos non succumbere uirtute mortis, peccati, inferni, uel cuiusquam creature: sed uoluntate Dei creatoris nostri tradentis nos in afflictionem, & punientis peccata, & ingratitude nostram: sic tamen, ut paternam promissionem relinquat, quod nos non sit deserturus.

Christus

Cōsolatio Ecclesie in calamitatibus.

Ioan. 14. Venit princeps mundi & in me non habet quicquā, nisi scilicet quantum patris uoluntas illi permiserit.

CHRISTUS Matthei 10. ter prohibet timere Tyrannos. Et utitur argumento a triplici eorum impotentia, Prima, quod animam non possint occidere, Hoc est, nihil ueri nocumenti adferre possunt.

Altera impotentia, quod scilicet in manu Dei sit, non Tyrannorum, piorum corporum occisio. Vnde caute Christus non dixit, Matth. 10. Lucae. 12. Ne metuatis uobis ab his qui potestatem habent, uel possunt corpus occidere, sed simpliciter dicit, Qui occidunt corpus. De Deo uero non dicit, qui animam & corpus perdit in gehennam, sed qui potest.

Tertia impotentia, capillorum amissionem, non esse in manu hostium, sed Dei.

In Psalmum.

Spiritus sanctus definit, Principes, Reges, Ciues, Rusticos, in summa, omnes qui aduersantur uerbo, esse similes foeno, quod non humi, sed in tectis nascitur, quod quidem bonam speciem habet, sed priusquam messis tempus adest, perijt, sine ulla humana ui.

foenum
tectorū.

Seneha-
rib.

Quando
pereunt
impu-
potentes.

Senaberib qui obsidebat Hierosolymam, uolauerat quasi super omnia regna, conculcauerat, & oppresserat omnia. Non itaq; potuit censeri ab Ezechia & alijs foenum esse. Et tamen, antequam hoc efficeret quod conabatur, peribat, & cum summa tre-

ma trepidatione, & maxima clade suorum soluebat
obsidionem.

Sic Pharao, non crescere uidebatur humi, sed
in aere, & tectis, miseri autem iudaei opprimeban-
tur. Haec non arescentis, sed florentis foeni species
est, Sed quam cito exaruit? cum de eis opprimen-
dis cogitaret peribat in aquis.

Talem imaginem Tyrannorum, spiritus san-
ctus in hoc loco nobis ostendit. Cur igitur paueres?
cur trepidares? Cur abijceres animum, quasi uero
nunquam uideris florentissimum foenum, paucorum
dierum spacio, sua sponte exarescere, imo ea natura
esse, ut non posset esse diuturnum.

A Thanasius, cum Iulianus, uarie tum ipsum,
tum omnem Ecclesiam uexaret, ac non
solum crudelitate, sed astu etiam con-
tra pios propugnaret, & alij, tanquam in magna
tempestate desponderent animum, Dixit, Non tem-
pestatem, sed nubeculam esse illam Iuliani persecu-
tionem. Hoc sane cor fuit fide plenum, quod statu-
ere potuit, Iulianum similem esse, non tempestati
magna ui grassanti, non crasse nubi inuoluenti om-
nia tenebris, sed nubeculae, quam sol nullo negotio
haurire soleat.

Ad hunc modum, nos quoq; debemus extenua-
re aduersariorum potentiam, furorem eorum pro
nullo

Pharao
Iste est
exitus fu-
roris mū-
di, & per-
tinet ad
consola-
tionem
Ecclesiae,
in mundo
oppressae.
Imago
Tyranno-
rum.

Foenum
in tectis
bulla in
aquis
Vmbra
in plateis
quae le-

uissima
occasione
euanes-
cunt.

Fœnū in
tectis, nō
iudicatur
falce di-
gnū, Sed
a sole pau-
latim ex-
urit.

nihilo ducere, non quidem propter nostram poten-
tiam, sed quod sua natura uerè sint bulla, fœnum in
tectis, & umbra, potius, quam homines: preter-
quam, quod etiam Deum contra se prouocant, ad
cuius potentiam collatus eorum furor, etiam inanius
quiddam est, quam fœnū in tectis, & bulla in aquis:
Verè enim nihil est, quam nudissima species, quæ
quidem aliquid uidetur esse, sed nihil est, Sic sunt
aduersariorum studia, mimantia quidem, sed reuera
sine effectu.

In Psalmum. 2.

Probat
experien-
tia omni-
um sæcu-
lorum,
quod ho-
stes Ecce-
siæ omnes
concide-
rūt, ipsa
autē salua
regnat.

EXempla quatuor Monarchiarum sunt ante
oculos, quas uidemus in puluere iacere, quod
huic regno se opponerent pertinaciter.

Contra Ecclesia quæ omnibus sæculis a mun-
do grauius fuit afflictæ, stat, sumit incrementa, gau-
det, Deum laudat, eius beneficia prædicat frementi-
bus & indignantibus, sathana & mundo.

DE VARIIS PICTURIS

Ecclesiæ Lutherus in Psal. 129.

TOtius regni Christi pictura in Apocalypsi
ostenditur, quæ multum loquitur, de malis
angelis, de Bestijs, & similibus Ecclesiæ pe-
stibus, quæ in Ecclesiam & regnum Christi grassa-
turæ sint permittente sic Domino: Sed semper ta-
men fit, ut calamitatem sequatur consolatio, &
quantumuis

quantumuis afflicta ac oppressa Ecclesia perduret,
ac tandem triumphet, 2. Cor. 4. & 6.

In Apocalypsi Cap. 12. elegantissima pi-
ctura est (qua fere ille liber nihil elegantius aut me-
lius habet) quod Ecclesia ceu uirgo solitaria, fugiat
antiquum serpentem, seu draconem insidiantem ei,
& eius filio.

1. Eccle-
sia est
similis
uirgini
solitariae.

Et uide omnes historias, an non Ecclesia sem-
per fuit abscondita Tyrannide principum, & men-
dacijs haereticorum, Adhaec accesserunt propriae
tentationes peccatorum, & uexationes Diaboli,
quibus perpetuo exercentur pij.

In Psalm. 126.

QVI igitur ueram imaginem Christiani, ocu-
lis intueri uult Hiobem intueatur, demoni-
bus, cruciatibus corporis, & foedis ulce-
ribus obsessum & oppressum, Deinde est ceu Laza-
rus, ante fores diuitis. Quid faciemus igitur? Si
uolumus & optamus consequi uitam aeternam, haec
ferenda sunt.

2. Hiob
image
Christi,
ani.

In Psalmum. 129.

QVI Ecclesiam pingere uelit, pingat defor-
mem & pauperculam puellam, sedentem
in infesto nemore, in medio famelicorum
Leonum, Ursorum, Luporum, Porcorum, deniq; ser-
pentum uenatorum. Item in medio furiosorum ho-
minum, admouentium Ferrum, Ignem, Aquam, ad

3. Ecclesia
equalis
est puella
sedenti in
infesto
nemore.

G occidendam

occidendam eam, & tollendam de terra, &c.

Is enim Ecclesie ornatus, & titulus proprius est, quod afflicta, calamitosa, infirma, obsessa, & omnibus machinis, item furoribus omnibus Diaboli, Mundi, Carnis, Peccati, Mortis, cincta est.

Hæc qui non inspicere, sed fugere uult, Ecclesiam nunquam inueniet.

4. Eccle-
sia nauicula,
est equa-
lis.

In Psalmum, 124.

Quid enim est Ecclesia, quam nauicula alligata ripæ quæ impetu aquæ abripitur? aut frutex ad ripam hærens quam sine ullo conatu, diluuium euellit. Talis Davidis tempore fuit populus Israel, collatus ad uicinas gentes. Talis hodie est Ecclesia collata ad aduersarios. Tales sumus singuli, collati ad potentiam maligni spiritus, sumus tanquam fruticulus temere natus & parum firmiter hærens. Ipse autem est, sicut Albis exundans, & magno impetu, omnia late sternens. Nos sumus sicut aridum folium, leuiter hærens in arbore. Ipse est tanquam uehemens boreas, magna uietiam arbores euellens, & prosternens. Hic quomodo possumus, nostris uiribus nos sustinere, aut tueri? Discendum igitur est ut nos conijciamus fide in uerbum. Nam uictoria nostra, aliud nihil est, quam fides. Etsi enim munitiones & arma habent suum locum, tamen in eis nihil præsidij est, nisi adsit fiducia in Deum, quam primum præceptum nobis proponit.

proponit. Ibi enim ostenditur Deum uelle esse, nostrum Deum, &c.

In Psalmum 124.

Insurgunt contra nos homines, hoc est, Reges Principes, Diuites, Sapientes, & quicquid in hoc seculo potens, & magnum est: hi omnes non aduersantur nobis, nec oderunt nos communi modo, sic contra nos insurgunt, ut conentur plane nos delere, & opprimere. Si enim ad orientem, ad Aquilonem, ad Septentrionem, & Meridiem te uertas, & consyderes, quot & quam ampla regna nos cingant, quæ omnia capitali odio contra nos incensa sunt, plane iudicabimur similes ouiculae quam centum lupi circumstant, & omni momento irruere & uorare eam conantur. Quod igitur sumus incolumes, & nostrorum hostium conatus uani sunt, hoc agnosce o Israel Dei beneficium esse, qui tam paruum gregem, tam magnifico miraculo defendit, & seruat.

5. Eccle
sia equa
lis est
ouiculæ

ALIQVOT PROPHECIAE,
excellentissimi uiri, deoq; dilecti, Do-
mini Iohannis Brencij.

In Caput 7. Esaiaë.

Ad hæc notabis, regem Assyrium, qui uocatus erat ab Ahazo, contra uerbum Dei, in auxilium, esse uastatorem & direptorem

eius.

G 2

Idem

Qui pu-
tabantur
fore de-
fensores:
fiunt ua-
statores.

Idem postea accidit Iudæis, qui inuocabant auxilium Romanorum præsidum, aduersus Christum, & Apostolos eius. Sed hi defensores fiebant postea Iudæorum deuoratores.

Accidit idem Heradio Imperatore. Constantinopolitano, qui non contentus suis, ijsq; Christianis militibus, usus est auxilio, Arabum & Saracenorum, aduersus persas. Sed hi hospites, facti sunt perniciosissimi hostes, totius Romani Imperij.

Hoc tempore, pontifices quæerunt præsidium aduersus professores Euangelij Christi, a Principibus, idq; contra uerbum Dei. Officium enim Pontificum est, Euangelion Christi tueri, non persequi.

Quid ergo fiet? Quos sperant futuros suos defensores, hi erunt uere, omnis Pontificiæ amplitudinis oppressores, & deuoratores, Amen.

In Caput Esaie. 5.

Varie & grauitè peccatum est, a maioribus nostris, & quæ peccata nunc designantur, eadem, ac etiam grauiora, & plura designata sunt in Germania ante centum, & ducentos annos. Quid ergo accidit, quod his temporibus, minantur pij concionatores extremam internicionem Germaniæ? Hoc inde adeo accidit, quod apud maiores nostros, lux Euangelij, nondum illustris erat, nec contemnebant ipsi lucem, quippe, quam nondum perspicue uidebant. Quod si tantus splendor Euan-

dor Euangelij, illuxisset ipsis, fortassis sicut Niniuitæ statim resipuissent. Quare Deus tolerauit eorum iniquitates patienter.

Nunc autem hoc tempore, lux Euangelij de Christo, lucet clarissime, & nos non solum peccamus uetera & graua peccata, sed additur insuper hoc peccatum, longe omnium grauissimum, quod lex Domini abiicitur, & eloquium sancti Israel blasphematur.

Euangelion enim de Christo, alij persequuntur: alij extreme contemnunt. Quare in hoc tanto Euangelij contemptu, nulla spes Germaniæ relicta est, nisi conuertatur ad Christum, Amen.

In Caput Esaiæ. 7.

CVM hoc tempore Dominus excitauerit in Germania publicos concionatores Euangelij Christi, qui manifeste & perspicue, commouent faciant homines ad poenitentiam, dubium non est, quin Dominus definierit terminum imperij Germanici, & det nobis spacium poenitentiae, ut si resipiscimus, conseruet hoc regnum, si autem pergamus Euangelium contemnere, pereamus.

In Caput 8. Esai.

NAm quemadmodum Iudæi, non solum consecuti essent regnum cœleste, sed etiam conseruassent, regnum suum terrenum, si Christum sanctificassent, & credidissent in eum, ac de-

dissent in regno suo, locum Euangelio CHRISTI.

Ita & hoc tempore, possent Principes Germaniæ, non solum in Christo consequi iusticiam coram Deo, sed etiam conseruare politicam suam dominationem aduersus incursiones Turcicas, si sanctificarent Christum, & aperirent portas regionum suarum, Euangelio Christi.

Nunc autem, quia alij persequuntur Christum, alij Ludibrio eum habent, alij non curant eum, interim uero metuunt aduersariorum foedera, in eunt & ipsi inter se foedera, colligunt de subditis pecuniam, conscribunt exercitus: aut ne hæc quidem faciunt, sed ociosi, & ignaui stertunt,

uix optare, nedum sperare possumus,

Germaniæ statum, diu sal-


uum, & incolu-


men fore.


••


IMPRESSVM MAGDE-
burgæ per Michaelem
Lottherum.


Anno. 1552.









































154677

ULB Halle
002 174 022

3





TH-206

SB. 4, 12 Seiten

He-1100.

~~TH-206~~





2

PROPHE=

TIAE ALIQVOT VE=

re: Et sententiæ insignes reuerendi pa-
tris, Domini Doctoris Martini Lutheri,
Tercij Helie: De calamitatibus, defecti-
one, & Tenebris, Germaniæ ob-
uenturis, eo in Domino
mortuo, & perpe-
tuo Viuente.

*Collectæ Per Iohannem Amsterdamum
Ecclesie Dei ministrum.*

In Brema.

Accessit & altera pars, consolatoriarum
sententiarum, eiusdem D. Lutheri.

1. Thessalonicenses 5.

Prophetias nolite spernere.

Michæ. 2.

Si essem uir uanus, & mendax, & pro-
phetarem tibi de uino, & Sicera, tunc essem
Propheta gratus huic populo.

Pestis eram uinus; Moriens, ero mors
tua papa.

Sed iudicium incipit a domo Dei 1. Pet. 4.

Ecce, quibus non erat iudicium, ut li-
berent calicem bibentes bibent, & tu quasi
innocens relinqueris? Hiero.